



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,  
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo  
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1709**

Quæstio XXXIX. In Titul. XXXIX. De Sententia Excommunicationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)



1598

Ex his inferitur 1. volentem lucrari indulgentias *in forma jubilei concessas* pro certo die, posse intra tempus à primis vespertis ad solis occasum, atque adeo pridie post primas vespertas confiteri, & absolvi juxta favores illis indulgentiis annexos. 2. Eum, qui vult lucrari indulgentias in honorem certarum festivitatum, vel Sanctorum cum clausula à *primis vespertis* concessas, posse inchoare adimpletionem præscriptorum operum statim post primas vespertas; si verò velit lucrari indulgentias pro communione generali certâ Dominicâ, vel etiam die cinerum, & alias pro certo die concessas, sine dictâ clausula, eum debere peragere opera præscripta in ipso die, non pridie, ut dictum est in præmissis.

scrip-  
torum  
operum  
statim  
post  
primas  
vesperas;  
si verò  
velit  
lucrari  
indulgentias  
pro  
communione  
generali  
certâ  
Domini-  
câ,  
vel  
etiam  
die  
cinerum,  
&  
alias  
pro  
certo  
die  
concessas,  
sine  
dictâ  
clausula,  
eum  
debere  
peragere  
opera  
præscripta  
in  
ipso  
die,  
non  
pridie,  
ut  
dictum  
est  
in  
præmissis.

## QUÆSTIO XXXIX.

### IN TITUL. XXXIX. DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

1599



Hic hoc titulo plurimum agatur de *excommunicatione*; tamen, quia etiam tanguntur aliæ censuræ, nimirum *suspensio*, & *interdictum*; ideo, quod in aliis quæstionibus tum physicis, tum Theologicis, & moralibus ordo doctrinæ postulat, ut à genere ad speciem descendamus, & à communibus ad reliqua singillatim; præsentem quæstionem dividemus in quinque partes; in prima de censuris in genere, in altera de excommunicatione; tertiâ, de suspensione; quartâ, de interdicto acturi; ad finem appositis nonnullis quæstionibus de irregularitate.

#### PARS I.

##### *De Censuris in genere.*

1600

Censura in genere, primavâ significatione apud Romanos denotavit *dignitatem Censuris*, ut notat Castropal. tr. 29. de cens. D. I. p. 1. n. 1. vel, ut habet Layman t. 5. de cens. p. 1. c. 1. *sententiam Censuris*, mores corrigentis, vel pœnam decernentis: hic tamen aliter accipitur, ut rectè observat P. Benedictus Percyra in Elucidario l. 3. elucidatione 7. s. 1. & amplius constabit ex dicendis.

#### ARTICULUS I.

##### *Quid sit censura?*

1601

Ante resolutionem supponendum 1. ex P. Layman l. 1. Theol. mor. t. 4.

c. 15. n. 2. nomen *culpe*, dupliciter sumi, primo pro defectu coram DEO culpabili, qui dicitur *culpa Theologica*; Secundo pro defectu culpabili coram judice politico, seu civili, qui dicitur *culpa politica*, seu *civilis*. Suppon. 2. similiter *penam* sumi dupliciter 1. strictè, quâ scilicet infligitur propter *culpam Theologicam* 2. laxè, quâ est correlativum *culpe civilis*, & infligitur propter *culpam politicam*, seu transgressionem legis, quâ respicit bonum communis, debitumque ordinem in illa. Ex quo sequitur, quòd omnis pœna in hoc sensu respiciat aliquam culpam, saltem in eo, qui directè punitur tum in se, tum in suis. Unde, quando regulâ juris 27. in 6. dicitur, *sine culpa, nisi causa subist, nemo est puniendus*; ergo aliquando saltem potest quis puniri sine culpa, cum scilicet alia causa subest. R. dist. ant. sine culpa vel *Theologica*, vel *civili* nemo est puniendus, nisi causa subist C. sine omni culpa Theologica tantum; N. ant. rextus enim loquitur de culpa Theologica solum, ut sensus sit, neminem puniendum esse sine delicto Theologico, nisi subist alia causa, culpa scilicet politica; hinc neg. consequ.

Supponendum. 3. *Penam* in commun. 1601  
ni esse malum quoddam, vel positivè, vel negativè afflictivum ejus, qui punitur. Inter has autem aliæ sunt *corporales*, vel positivè affligentes corpus; vel negativè affligentes hominem, quatenus illi tollunt bonum aliquod pertinens vel conducens ad statum ejus temporalem: aliæ sunt *spirituales*, quæ primò, ac per se, & principa-



liter versari debent privativè circa bonum spirituale, quamvis quandoque per accidens sequatur etiam carentia rei temporalis. Talis poena spiritualis esse debet quævis *pœna Ecclesiastica*, quæ in terris à sola potestate Ecclesiastica infligi potest in delicti alicujus coercitionem, ut notat Gibalinus de jurisdictione sacra, disquisitione. 1. q. 1. n. 1.

1603 Supponendum 4. inter bona spiritualia, quæ scilicet per se diriguntur ad bonum statum animæ, alia esse *communis*, cujusmodi sunt publica Ecclesiæ suffragia, satisfactiones, jurisdicção sacra, hujus usus, sacrificium, Sacramenta, beneficia Ecclesiastica, &c. quorum dispensatio est penes Ecclesiæ bonis in præmium; eorumque privatio, malis in pœnam: alia verò *privata*, & cujusque propria; qualia sunt virtutes, gratia, bona opera, eorumque vis merendi, impetrandi, &c. quæ directè non subsunt potestati Ecclesiæ. Bonis autem spiritualibus, quæ subsunt potestati Ecclesiæ dupliciter aliquis privari potest. 1. Auferendi illi non tantum usum, sed etiam potestatem, vel jus eorum. 2. Auferendo per se illi usum præcisè, quatenus quandoque per accidens sequatur etiam privatio vel ipsius juris, aut potestatis, vel alicujus boni temporalis.

1604 Supponendum 5. apud Theologos, & Canonistas vocem (*cenfura*) translata est ad significandum censionem, seu correctivam sententiam Judicis Ecclesiastici: sub qua latitudine tripliciter usurpatur: 1. latissimè pro omni severa correctione Ecclesiastica, quæ per modum pœnæ, seu multæ infligitur. 2. minus latè pro sententiis Ecclesiasticis, quæ pœnæ quidem sunt, sed non valde odiosæ, & potius salutiferæ, & medicinales, sub qua amplitudine quinque continentur, scilicet, excommunicatio, suspensio, interdictum, cessatio à divinis, & irregularitas, 3. strictè, ac propriè, prout ab Ecclesiâ frequentius sumitur, & à Suario de cens. D. 1. f. 1. n. 5. in hunc modum definitur, *est pœna spiritualis, & medicinalis, privans usu aliquorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eandem ordinariè absolvi possit.* Loco generis ponitur *pœna*, & excludit irregularitatem, quæ universim pœna non est; dicitur *spiritualis*; quia primariò est privatio bonorum spiritualium, quamvis secundariò aliquo bono corporali privet, additur: *privans usu aliquorum spiritualium bonorum*; quia non pri-

Tom. V.

vat bonis habitualibus, quales sunt character, & virtutes infusæ; particula: *per Ecclesiasticam potestatem* denotat centuram esse pœnam legitimam, quæ proinde non nisi ab habente jurisdictionem, & potestatem infligi potest: denique particula: *per eandem ordinariè absolvi possit*, ostendit centuram esse ligamen dissolubile, & ex se pœnam temporalem: si enim foret perpetua, & absque spe remissionis, medicina esse non posset. Per illam igitur rejicitur omnis pœna, quæ ab Ecclesiâ imponitur, ut perpetua absque spe remissionis, ut depositio, degradatio, & similes.

Licet autem Gibalinus cit. n. 6. in de. 1605 finitione addi velit, quòd censura sit *pœna spiritualis*; sufficienter tamen intelligitur ex eo, quòd privet usu *rerum spiritualium*; ideo nec additur: quòd sit pœna hominis *baptizati*; quia, cum infligere pœnam Ecclesiasticam sit actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, extendentis se tantum ad subditum, qualis non est non baptizatus, id aliunde sufficienter colligitur. Illud tamen omnino addendum videtur, quòd hæc pœna infligatur *in correctionem delinquentis*; is enim est finis directus cujuslibet centuræ; cum (ut patet ex Trid. Sess. 25. de reform. c. 3. & c. 1. de sent. excom. in 6.) centuræ sit *pœna medicinalis*, non moralis. Ex quo sequitur, non esse *pœnam merè punitivam delicti*, sed *correctivam* saltem ex fine directo, jure tamen speciali, ultra legem merè punitivam inditæ. Nec propterea inferre licet: ergo centuræ ferri non potest in eos, de quibus non est spes consequendæ directionis. Nam ad hoc respondet Castropal. cit. n. 1. N. illatum, quia centuræ, quantum est ex se, & naturâ suâ, habet ordinariam correctionem delinquentis; unde si per accidens contingat non sequi correctionem, non immutat ejus naturam.

His addi possunt, quæ luce digniora 1606 sunt, ad rectam intelligentiam doctrinæ de centuris, qualia sunt monitio Canonica, contumacia, absolutio. De hac dicemus infra; *monitio Canonica*, de qua in c. *Constitutionem*, de sent. excom. in 6. est, quando intervenit citatio cum tribus monitionibus, vel una peremptoria tres continente. *Contumacia* & *Contumax* juxta Sylvest. V. eodem, dicitur à contumeco, quod est super verbis, aut aspectu tumere, vel à contemnen-

Zz

temnen-



temnendo: & idem valet, ac inobedientia voluntaria, quâ quis monitionem iudicis implere contemnit, c. 2. de dolo, & contum. Unde propriè accipitur in ordine ad Superiorem, quâ iudex est, & consistit in non faciendo voluntariè, quod facere quis scit se debere.

1607 Contumacia triplex numeratur; nimirum *evidens*, alio nomine *manifesta*, alio *expressa*, & datur, quando reus citatus in faciem dicit iudici, vel ejus ministro, se nolle comparere, se nunquam pariturum; aut si illicentius recedit. *Presumpta*, alio nomine *dubia* est, cum citatur Reus ad domum, non in faciem, aut si familiaris suæ vel vicinis denunciatur ista citatio, aut in albo Prætoris, vel in Valvis curiæ figitur, & non comparuit. *Vera* est, cum in faciem citatus non comparuit, & si citatus tacuerit.

1608 Præterea not. nomine *cenſurarum*, quando datur facultas per Bullam, vel jubileam, absolvendi ab omnibus cenſuris, non venire reservatas, ut probat Suarius de cenſ. D. 7. f. 5. n. 10. Ex quo apud eundem num. seq. deducitur 1. sub generali facultate ad absolvendum à casibus reservatis Pontifici, non intelligi casus Bullæ Cœnæ, quamvis expressè non excipiantur. 2. Sub generali concessione omnium cenſurarum Papalium etiam contentarum in Bulla Cœnæ, non intelligi excommunicationem hæresis, quamvis probabile sit intelligi, si hæresis sit occulta. 3. Quando Pontifex concedit generali clausulâ facultatem absolvendi à cenſuris sibi reservatis, intelligi concedere etiam cenſuras, quas inferiores Episcopi sibi specialiter reservant.

## ARTICULUS II.

### *Quæ duplex sit cenſura?*

1609 **H**anc quæſtionem satis clarè resolvit Innocentius III. qui interrogatus quidnam cenſuræ nomen significaret, quando in jure, aut literis Apostolicis apponitur hæc clausula: *per cenſuram Ecclesiasticam*, respondit: per eam intelligi sententiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Sic habetur in c. *quærenti*; de verb. signif. Sunt igitur tres cenſuræ species, nempe excommunicatio, suspensio, & interdictum. Nam responsio Pontificis fuit doctrinalis per verba indefinita, adeoque æquipollens universali, ac si diceret

omnem cenſuram illis tribus membris contineri. Singulas suis locis infra declarabimus. *Cessatio* à divinis vel continetur interdicto, vel cenſura non est. Quare *Cenſura Ecclesiastica appellatione* venire excommunicationem, suspensionem, & interdictum, docent Avila de cenſ. p. 1. D. 2. f. 5. Henriq. in Summa l. 13. c. 6. Flamin. Parisiens. de reſig. benef. l. 5. q. 6. n. 69. & non venire irregularitatem, tradunt Cened. ad Decretum Collect. 52. n. 2. Fr. Emman. Rodriq. quæſt. reg. tom. 1. q. 62. à. 12. Hinc rejicitur Sotus apud Layman cit. c. 2. n. 1. qui quinque species cenſuræ numerat, *excommunicationem, suspensionem, interdictum, cessationem à divinis, & irregularitatem ex delicto*: quibus alii adjiciunt adhuc duas, *depositionem, & derogationem*; ita plerique Thomistæ cum Petro Ledesma, quem refert Eligius Balsæus V. *Cenſura* n. 3. Sed his meritò præferenda est doctrina Innocentii, quæ etiam confirmatur ex c. *statutum*, de sent. excom. in 6. ubi tantum hæc tres assignantur. V. n. 2305.

Ultimorum ratio est, quia *cessatio à divinis*, ut notat Gibalinus disquis. 1. q. 2. n. 25. est solum simplex prohibitio, quæ prohibentur Clerici in aliquo sacro loco celebrare, & obire divina officia; cujus prohibitionis communiter finis est, exhibere per hoc moerorem Ecclesiæ lugentis, aut sibi, aut alteri, vel etiam Sacris illatam injuriam. Hanc porò non esse cenſuram, patet 1. quia hæc prohibitio ex se non est poena, cum imponi possit cessanti etiam sine ullo illius delicto. 2. Violans cenſuram incurrit irregularitatem; non autem violans præceptum de cessatione à divinis. 3. Ad cessationem à divinis solum requiritur præceptum Superioris; ad cenſuram culpa, seu delictum. 4. Cessatio à divinis non est ex suo conceptu poena medicinalis, sicut cenſura.

*Irregularitas* autem est impedimentum 1611 Canonice susceptionem Ordinum sacrorum, & susceptorum usum impediens. Dicitur impedimentum Canonice, à causa efficiente, quæ est Jus Canonice, de reliquis suo loco. Ex hoc autem patet, eam non esse cenſuram, quia *ex se* non est poena. Ulterior ratio petitur ex rationibus 1. & 2. num. præcedente præterquam, quòd absolvere potens à cenſuris, non coipso tollere possit irregularitatem, quod ulte-



ulterius confirmatur ex dicendis n. 2305. *Depositiio verbalis* denique est privatio executionis officiorum & beneficiorum simpliciter, & in toto, absque spe restitutionis, facta tamen sine solemnitate, & relicto utroque privilegio canonis & fori. *Depositiio* autem *realis*, seu *degradatio*, est similis privatio, sed facta cum certa solemnitate, & privatione utriusque privilegii Canonis, & fori. Hanc autem poenam, præter rationes allatas contra cessationem à divinis, clarè patet, non esse censuram; cum censura ex se non sit poena perpetua; his præmissis:

1612 Quælibet censurarum subdividitur. x. in eam, quæ est à jure, & quæ est ab homine: quamvis enim omnis censura fundetur in potestate & voluntate alicujus hominis; tamen cum duobus modis ferri possit, fortitur distinctionem, & diversum nomen. Est igitur *Censura à jure*, quæ habetur per Legem stabilem, ac permanentem, latam & obligantem sub poena censuræ, quam ipso facto incurrat transgressor. Licet enim jus ab homine processerit, jam talis censura in ipso jure includitur. *Censura ab homine* datur, quando homo illam profert ferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in singulari actione vel negotio, in quo non stabilitur jus, vel lex aliqua, sed solum datur mandatum transitorium. *Hominis appellatione*, hoc loco juxta Suar. de cens. D. 3. f. 1. n. 2. venit tum singularis persona, tum Collegium hominum. *Juris appellatione* venit quæcumque lex habens omnes condiciones requisitas, ut verè, & in rigore lex dicatur. Quare ille tantum potest ferre censuram à jure, qui jus & legem condere potest.

1613 Altera subdivisio censuræ est in eam, quæ dicitur *lata sententia*, & incurritur ipso facto, cum primum scilicet committitur delictum, sine ulteriori declaratione, vel sententia Judicis; & ideo etiam dicitur, quod ipsa trahat secum executionem, & sit annexa delicto: & in eam, quæ dicitur *sententia ferenda*, quæ scilicet non incurritur ipso facto, sed primum post sententiam Judicis. Hæc posterior etiam dicitur *comminatoria*. P. Stephanus Bannus de censur. Ecclesiast. q. 16. plures adhuc subdivisiones affert, sed parvi momenti. Illud ex eo not. censuram etiam dividi in *generalem* (quæ certam personam non denotat, sed eam tantum, quæ est

Tom. V.

rea, consciaque delicti, cujus causâ infligitur) & *particularem*, quæ in personam certam fertur, expressam nomine proprio, aut dignitatis, vel officii, quod gerit, his præmissis:

Quæres, quibus verbis significetur censura lata, vel ferendæ sententiæ? R. in hac quæstione tenendam esse hanc regulam; quando aliquid prohibetur sub interminatione censuræ *per verba indifferencia*, quæ scilicet explicari possint de censura sententiæ ferendæ, hanc intelligendam esse, non autem censuram latam, ex reg. juris, 49. in 6. quod *in pænis benignior facienda sit interpretatio*. Hinc, quando aliquid prohibetur sub poena excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quin addantur aliæ particulæ restringentes ad censuram *lata sententia*, semper intelligenda est censura sententiæ ferendæ; ita Castropal, loc. cit. n. 5. & alii.

Deinde universaliter, quoties censura fertur sub verbis de futuro non est censura latæ sententiæ, sed ferendæ per Judicem, ut si quis dicat: *qui hoc fecerit, excommunicetur, suspendatur &c.* ita Castropal, loc. cit. & alii. Ut enim censura sit *lata sententia*, non ambiguis, sed manifestis verbis exprimenda est, inquit Castropal, cit. alias enim in dubio relinquit locum favori, juxta num. præced. Ex quo sequitur ea tantum verba indicare censuram ipso facto incurri, quæ nullum Judicis officium, vel operationem requirunt, ut *ipsa censura incurrat*; ut si dicatur: *præcipimus, vel prohibemus sub poena excommunicationis lata sententia*, vel *ipso facto, ipso jure*; hæc enim particulæ indicant, non esse opus aliâ sententiâ condemnatoriâ, ut in seqq. pluribus dicitur. Idem est, si dicatur: *prohibemus, vel præcipimus sub poena censura v. g. excommunicationis ipso jure*.

Aliqui docent, quando in præcepto sub censura, adduntur hæc, vel similes particulæ: *confestim, illico, continuo, ex tunc, omnino, prorsus, incontinenti, mox, protinus &c.* denotari censuram *lata sententia*; ita Escobar Theol. mor. tr. 4. de censur. exam. 1. c. 1. Sed mihi videtur id non esse universale; cum fieri possit hic sensus: *qui hoc fecerit, statim excommunicetur*, in quo sensu ex regulis supra datis significatur tantum censura sententiæ ferendæ. Nam optimè explicari possunt, si dicas: *statim excommunicetur, scilicet per Ju-*

Zz 2 dicem.



*dicem.* Debet ergo attendi alia regula, an verba sint de præfenti, vel de futuro, quibus illæ voces adjunguntur; Sic Leander de censur. D. 1. q. 17. tr. 1.

1617 Hinc, quando dicitur: *qui hoc fecerit, excommunicetur, suspendatur &c.* censura est sententiæ ferendæ, ut docet Suarez D. 3. f. 3. n. 9. & alii apud Castropal. loc. cit. excipe, nisi verbum imperativi modi non dirigatur *ad Judicem*, ut requirat ejus actionem; sed *ad Reum*, quem lex per imperium efficax ligat. V. Trid. Sess. 25. de reform. c. 19. in Remissionibus, V. *Incurrant*; Reginaldum in praxi l. 22. n. 76. Hinc merito inquit Joannes Streinius, explicans reg. 49. juris in 6. quod, ubi reperiuntur talia verba: *puniantur, priventur &c.* intelligamus non ipso jure, sed per sententiam; ita habet p. 4. in regul. jur. reg. 49. n. 1. Coeterum Tamburinus de Censur. l. 10. tr. 1. c. 1. n. 33. qui eo loco refert complures formulas, quibus non tantum significatur censura sententiæ latæ, sed etiam ferendæ, tres tamen regulas ad hoc dignoscendum ibidem tradit.

1618 Prima est, quando ex contextu verborum lex requirit actionem alterius, qui executioni mandet poenam, tunc poenam esse ferendam; quando vero non requirit, sed ipsa lex immediate poenam exequitur, ut regulariter fit, cum utitur verbo præfentis, vel præteriti temporis, poena est latæ, nisi aliunde verbum restringatur. Secunda, cum id expressè constat, vel ex aliis circumstantiis colligitur, talem esse mentem ferentis censuram, ut poena sit latæ, vel ferendæ sententiæ, vel quod intendat punire *censurâ*. Hoc enim totum pendet ab intentione ferentis. Dixi, *si constet expressè*. Nam secus, inquit Tamburinus, nulla fertur excommunicatio; ut fit in his formulis: *Fero in te sententiam Ecclesiastica censura, serio te mucrone Christi, vel Ecclesiastico; vel incurrat indignationem nostram, Christi, aut, Ecclesie; præcipio in virtute S. obedientie, sub interminatione D. Judicii, &c.* in his enim, qui non obediunt, etiam incurrat peccatum, non tamen censuram.

1619 Tertia demum; quando res est dubia, ex dictis n. 1614. intelligendam esse poenam ferendam, non latam. Aliqui Auctores dubitant de hac formula: qui hoc fecerit, *sit excommunicatus, sit anathema*, Coninch apud Castropal. cit. ac Tambur.

loc. cit. c. 1. n. 21. & 22. docet, esse censuram latæ sententiæ: Sanchez autem l. 7. de matrim. D. 12. n. 2. & Layman l. 1. tr. 5. p. 3. c. 2. apud Castropal. cit. volunt significari censuram tantum sententiæ ferendæ. Probat hoc Sanchez l. 2. mor. c. 26. q. 5. apud Layman cit. p. 1. c. 2. ubi docet, divinatores, ac veneficos, eorumque consultores, non esse ipso facto excommunicatos, licet 26. q. 5. c. 1. dicatur: si quis ariolos, aruspices aut incantatores observaverit, *anathema sit*; quia scilicet in seq. c. *non oportet*, 4. & c. *aliquanti*, 6. ejusdem questionis dicitur: *Eos, qui talibus rebus usuntur, ab Ecclesia projici jussimus*; quæ verba exponunt jus præexistens; & quia requirunt actionem alterius, eo ipso per n. 1618. significant poenam solum sententiæ ferendæ. Videtur etiam hoc sentire Navarrus apud Tambur. cit. n. 21.

Ex hoc oritur dubium alterum, an scilicet hæc verba, quibus dicitur: qui hoc fecerit, *subjaceat excommunicationi, noverit se excommunicatum, &c.* significant censuram *latæ sententiæ*? affirmat Castropal. cit. Verum, si dicta priori num. non significant illam aperte, ut patet ex Sanchez; jure etiam de his dubitari potest; cum hæc non sint magis ad illam determinata, ac illa; & hæc verba: *excommunicationi subjaceat*, non esse verba latæ sententiæ, docet Tiraquel. in L. *Si unquam*, C. de renovandis donationibus, V. *Revertatur*, n. 149. nam verbum præfentis temporis imperativi modi, importat sententiam *ferendam* per Ugolinum de censur. tab. 1. c. 9. apud Barbosa in c. *dura*, de usuris, n. 4. ea propositio: *noverit se excommunicatum*, indifferens est, ut intelligatur: vel excommunicatum *iri*, vel excommunicatum *esse*. Aliud est, cum loquimur in præfenti indicativi modi. Nam ex communi verbum *excommunicamus* latam sententiam significat. Barbosa in c. *Excommunicamus*, 2. de hæret. n. 2.

Hæc verba: Si quis hoc fecerit, *licet iuris sit vobis, excommunicationis sententiam contra illum promulgare*, significant solum censuram sententiæ ferendæ; prout rectè docet Lezana in mari magno Prædic. n. 58. apud Tambur. cit. n. 35. similiter ista: *sicut excommunicatus visetur*; ita Abbas apud Leand. de cens. tr. 1. D. 1. q. 14. quia *similitudo excommunicationis non est excommunicatio*. Ex hoc autem, quod dicitur: si quis



si quis hoc fecerit: *nullus ei communicet*, donec satisfactione præmissa absolvatur, existimat Tamburinus cit. n. 39. nec majorem, nec minorem excommunicationem significari, sed solum talem determinatam poenam dictæ communicationis; quia & major & minor excommunicatio, præter istam privationem, habent alios effectus.

1622 Dices: quando in aliis poenis, quæ non sunt censura, adduntur hæc particula: qui hoc fecerit, *ipso facto incidat in poenam privationis vocis activæ & passivæ*, &c. non incurruntur statim illa poenæ, sed requiritur sententia declaratoria Judicis, commissum esse delictum; quod extendit Thomas Hurtado p. 2. f. 571. apud Tambur. cit. n. 4. etiam si addatur fortior clausula: *nullus hoc committat sub poena privationis*, &c. *ipso jure*, nullâ præviâ declaratione; ergo etiam in excommunicatione requiritur prius declaratio Judicis, licet addantur hæc, vel similes particulae: *ipso facto*, &c. Sanchez l. 9. matr. D. 30. Suar. de cens. D. 3. S. 3. & l. 5. deleg. c. 5. respondent negando consequ. nullam tamen se disparitatem invenire, nisi antiquissimum usum Ecclesiæ; ita hi apud Tambur. cit. n. 5. cum aliis; sed vide, quæ super hoc tradita sunt l. 1. decret. tit. 2. de Constitut.

### ARTICULUS III.

*De ferente censuram.*

1623 **N**on addidi in priori quaestione specialem articulum de censura injusta, & invalida; hoc enim tangemus in sequentibus. Cum enim censura possit esse invalida vel defectu potestatis in ferente, vel defectu materiæ, propter quam ferri possit: hæc autem specialibus quaestionibus tractaturi sumus, ea facillè intelligi poterunt in iis, quæ imposterna dicemus.

§. 1.

*An in Ecclesia sit potestas ferendi censuras?*

1624 **N**egârunt olim hæretici quidam, ut Wicleffus, Hus, Hieronymus à Praga, & alii, quos postea secutus est Lutherus, ut refert Leander à SS. Sacramento t. 1. de Cens. D. 2. q. 1. quorum ratio erat, quia Ecclesia non habet potestatem, aliquem spoliandi bonis spiritualibus; tum quia hæc privatio non est conveniens saluti fidelium, (cum sit privatio bonorum), quæ in eorum salutem à Christo, tanquam altiori Domi-

no, relicta sunt) tum quia non est conveniens, ut quis in se ipso poenam exequatur, quod fieret, si quis per censuras compelli posset ad abstinendum à communione fidelium. Accedit, quòd hæc potestas Ecclesiæ concessa ex nullo scripturæ loco probari possit. Nam ex illo Math. 16. & 18. ubi Christus promisit Petro claves regni cœlorum, nihil probatur; hoc enim solum intelligi potest de potestate ligandi, & solvendi à peccatis; hæc enim sola, non censura, claudunt regnum cœlorum; ita illi.

Sed firmiter tenendum est, hanc potestatem Ecclesiæ concessam esse à Christo 1625  
1. quia hoc fuit definitum contra primos hæreticos in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 9. & in bulla Martini V. & postea contra Lutherum à Leone X. ut refert Leander cit. & fusè probat Castropal. D. 1. de Cens. p. 3. n. 2. Deinde constat ex verbis Christi, Math. 18. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, ac si diceret: *qui Ecclesiæ contumax, inobediensque fuerit, tanquam Ethnicus, & publicanus tractari potest*: sed Ethnicus privatus est omnibus Ecclesiæ suffragiis, aliisque bonis spiritualibus communibus; ergo & ille. Tertio constat ex continua praxi Ecclesiæ, à tempore Apostolorum, ut patet ex illo ad Cor. 5. ubi Paulus hominem contumacem judicavit *tradere Sathana in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat*. Ubi excommunicavit quendam incestuosum, qui nocerâ abutebatur, & 1. ad Timoth. 1. duos blasphemos tradidit Sathana.

Rationes in oppositum nihil prosunt. 1626  
Ad 1. N. ant. de bonis communibus; quamvis concedam de privatis; sed his non privat censura. Ex eo autem, quòd bona communia fidelibus à Christo relicta sunt, non probatur, ea non subesse Ecclesiæ, ut in republica politica, ubi sapius bona communitati relicta à Principe subduntur magistratui, ut possit indignis, & inobedientibus subtrahere: deinde falsum est, hanc privationem fidelibus non esse in salutem; cum sit præcisè in eorum correctionem. Ad alterum dico, falsum esse, quòd non sit conveniens, ut quis poenam in se exequatur, cum id contingat in frequenti republica etiam civili, ut notat Coninch. D. 13. d. 3. in fine, Lessius c. 31. n. 36. apud Castropal. cit. n. 2. Hinc Streinius in proleg. jur. Canon. §. 8. de lege poenali, n. 6. tunc solum, ait, Reum non te-



neri *pœnam legis per se ipsum exequi*, cum non sit sine crudelitate; secus, in moderata pœna. Ad postremum N. similiter ant. ut patet ex n. priori, præterquam, quòd falsum sit, non probari etiam ex cit. verbis, non enim solùm à peccatis, sed etiam per carentiam aliorum bonorum coelum clauditur, quorum defectu sæpe contingit, contumaces Ecclesiæ subditos ex impoenitentia interire.

§. 2.

*In quo resideat potestas ferendi censuras?*

1627 **S**upponendum, in duplici specie, vel classe esse potestatem Ecclesiasticam. 1. *Ordinariam*, quæ scilicet alicui officio, vel dignitati Ecclesiasticæ, prout ab Ecclesia instituta, in perpetuum annexa est. 2. *delegatam*, quæ alteri talis jurisdictionis capaci, conceditur ab habente potestatem ordinariam. Quòd autem potestas ordinaria delegari possit, probatur, præter alia, ex c. 7. *Cùm Episcopus*, de offic. Ordin. in 6. ubi dicitur, quòd Episcopus in quolibet loco suæ diocesis non exempto, vel per se, vel per alium, pro Tribunali sedere possit, his positis: R. non esse dubium, potestatem, quam habet Ecclesia ferendi censuras, esse de jure divino. Nam illa immediate à DEO concessa est Ecclesiæ, ut ex dict. constat, & determinatum est in Extravag. *Unam sanctam*, de majoritat. & obed. ipsa tamen institutio censurarum, item applicatio (ad hanc, vel illam personam, aut hoc, vel illud crimen) non est de jure divino, sed humano. Nihil enim est in censuris, quod Ecclesia mutare non possit, sicut de factò multa sunt mutata, ut patebit ex seq. Neque de factò datur aliquod crimen, cui jure divino annexa sit censura; hoc enim esset maximè *hæresis*; atqui nec ista est; cùm hæc primùm in hæreticos statuat à Pontifice; ita D. Th. Sotus, Syl. Henriq. Suar. & alii. Nec obstat, quòd Paulus præcipiat, *vitari hæreticum*; hoc enim non facit, ut Scriptor sacer, sed ut Prælati Ecclesiastici; imò negant aliqui, præceptum illud esse de excommunicatione, sed solùm de fuga ob periculum contagionis; his præmissis ad quæstionem, cui conveniat ordinaria potestas ferendi censuras?

1628 R. 1. potestatem hanc convenire Patris, in quo tanquam in capite residet hæc potestas, quam immediate à Christo ac-

cepit. Math. 18. & Joann. 22. *pascere oves meas*. Nani ad oves bene pascendas pertinet etiam coercere illas; item Concilio generali, congegato Autoritate Summi Pontificis; Sic enim cum illo, tanquam Capite, efficit unum corpus: tandem etiam Cardinalibus, in propriis duntaxat titulis, ex c. *his quæ*, II. de majorit. & obed. quia in his solùm, in foro externo, jurisdictionem habent; ita communis cum Escobar, Theol. mor. tr. 4. c. 2. exam. 1. & patet ex illis verbis in cit. c. 11. ibi: *sententiando decrevimus, ut earundem capellorum Presbyteri, & Clerici, qui nunc sicut in ipsa Ecclesia, & qui pro tempore fuerit, correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, & excommunicationis, & interdicti, vel suspensionis sententias, quas eulerit in eos, & Ecclesias eorumdem, inviolabiliter observantes*. Quando autem Ecclesia ipsa Cardinali vacabit, Capellani, & Clerici memorati nihilominus eidem Ecclesiæ reverenter exhibeant omnia supradicta, eo duntaxat excepto, quod de correctione, excommunicatione, & suspensione, ipsorum pro bono pacis, nostræ providentiæ reservamus.

R. 2. potestatem ordinariam ferendi censuras etiam competere Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, qui habent proprios subditos, & dioceses; est enim annexa eorum Prælaturis. Ad hoc autem sufficit, quòd sint confirmati Prælati, licet nondum consecrati; ita communis, ubi tamen nota, quòd Archiepiscopus, respectu subditorum sui Suffraganei, non possit ferre censuram, nisi visitet diocesi sui suffraganei, vel ad ipsum devolvatur per appellationem causa subditorum suffraganei, in c. *Venerabilibus*, 7. de sent. excom. in 6. idque ex omnium sententia tradit Coninch D. 13. d. 4. in princip. cit. à Castro palao p. 4. n. 2. Textus autem citati Capituli sic habet: *Cæterum Rothomagensis Archiepiscopo, vel ejus officiali non licet excommunicatis ab Archidiaconis, vel aliis subditis suffraganeorum ipsius Archiepiscopi (cum nec excommunicantium, nec excommunicatorum sint iudices) absolutionis beneficium impartiri: excommunicatos autem ab ipsis Suffraganeis, vel eorum officialibus possunt absolovere, si ab ipsis litigantibus ad eos fuerit provocatum. Neutrâ verò partium appellante, si qua ipsorum per Archi. Episcopum, vel ejus Officialem ab excommunicatione con-*



tra eam lata pro reliqua postulet se absolvi: vel aliàs coram eis de parte adversa querimoniam sine appellationis interpositione deponat: non est in hoc ab ipsis (cum sui non sint Judices) audienda. Sed si excommunicatus deponat apud eos de suffraganeo, ut imponatur ei pœna, & pro suo interesse super injuria excommunicatione querelam: audire utique debent eum; secus autem si conqueratur de ipso, ut relaxetur hujusmodi sententia contra se ab eo pro alio promulgata: quoniam tueri hanc causam non ad ipsum suffraganeum, sed ad eum pro quo est sententia lata, spectat. Attamen si suffraganeus vel extra-judicium pro suorum defensione jurium, vel etiam in iudicio ex suo procedens officio inquirendo, videlicet vel simile quid agendo aliquem excommunicet: in hoc casu conveniendus est ipse suffraganeus coram Archiepiscopo, vel eius Officiali: quia ipsius interest defendere causam suam. Ex hoc textu clarè apparet, excommunicatos à subditis suffraganeorum Archi-Episcopi ab hoc non posse absolvi; bene tamen excommunicatos ab ipsis suffraganeis, vel eorum Officialibus, si ad eum fuerit appellatum. Novam verò querelam prætextu sententiæ erroneæ, aut similis proponendam esse coram eo Iudice, qui illam tulit; vel coram eo, qui adiri potest per simplicem querelam, non autem coram Archi-Episcopo Metropolitano, qui solum Iudex est ex causa appellationis inter subditos Episcopi, etiam si agatur contra sententiam ex eo, quòd nulla sit. Sic Covarruv. de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 12. à n. 12.

1630 R. 3. eandem potestatem jure ordinario convenire Legatis Pontificiis, sive sint Legati à latere, sive nati, sive missi; scilicet in provincia suæ legationis, ex c. Legatos, 2. de offic. Legati in 6. cum habeant jurisdictionem Ordinariam, ut dicit Clemens IV. ibi: Legatos, quibus in certis provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, adificent, atque plantent: provincialiarum sibi commissarum, ad instar proconsulum, ceterorumque presidum, quibus certa sunt decreta provincie moderande Ordinarios reputantes. Prasenti declaramus edito commissum tibi à prædecessore nostro legationis officium nequaquam per ipsius obitum expirasse. Item Vicariis Papæ, Archiepiscoporum, & Episcoporum. Eorum enim idem est tribunal cum iis, quorum sunt Vicarii, c. 2. de consuetud. in 6.

ibi: Non putamus illam consuetudinem quæcumque tempore de facto servatam consensum rationi, quòd ab officiali Episcopi ad eundem Episcopum valeat appellari. Nec ab eodem ad seipsum (cum sit idem adiutorium utriusque) appellatio interposita videatur. c. Romana, de appellation. in 6. ibi: Cum suffraganeorum Rhemensis Ecclesia suorumque officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo cognoscunt) unum, & idem consistorium, sive auditorium sit censendum: ipsis officialibus non ad dictos suffraganeos (ne ab eisdem ad seipsum interponi appellatio videatur) sed de jure ad Rhemensem est curiam appellandum. Hoc autem intellige de Vicario principali, non foraneo, qui habet jurisdictionem solum delegatam, nec facit cum suo Principali idem tribunal; ita Abbas in c. Si quis contra Clerum, n. 30. de foro compet.

R. 4. eandem convenire Concilio 1631 provinciali Archiepiscopi, diocesano Episcopi, & Capitulis Ecclesiarum sede vacante; per c. grave nimis 29. de præbendis, ubi dicitur, quòd Capitulum provinciale à beneficiorum collatione suspendat eos, qui post secundam correptionem indignis beneficiis conferunt. De aliis etiam Capitulis sede vacante, constat ex c. Cum olim, de majorit. & obedient. ubi dicitur, quòd Episcopatu vacante Capitulum confirmet, & infirmet electiones; c. unico, eod. tit. in 6. ubi: Episcopali Sede vacante potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis jurisdictionis tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus potest Episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia sive juris, sive hominis fuerint, absolutionis beneficium impartiri, nisi ei fuerit à Sede Apostolica specialiter interdicta potestas. Idem etiam est de Vicario Capituli sede vacante, ut decernit Trid. Sess. 24. de reform. c. 16.

R. 5. eandem convenire Inquisitori 1632 bus S. Officii; Sic Navarrus, Simancha, Alterius & Henriquez, quos citat, & sequitur Leander tr. 1. de Cens. D. 2. q. 14. contra Archi-Diaconum, qui in c. No aliquid, de hæreticis in 6. negat; ratio est, quia in causis fidei, & aliis ad officium spectantibus, sunt delegati Sedis Apostolicæ. Idem quoad potestatem ordinariam ferendi censuras in subditos, dicendum venit de Prælatibus Religionum, ut Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Guardianis, Recto.



Rectoribus, aliisque, qui habent jurisdictionem in foro externo; Sic Castropal. de Cens. D. 1. p. 4. n. 2. & alii communiter, idque ex jure communi, ut habetur in c. *Cum in Ecclesia*, 10. de major. & obed. ubi dicitur, Canonicos Regulares, inobedientes Priori suo, per ipsum excommunicari posse; quod etiam colligitur ex c. *quanto*, 7. de offic. Ordinarii.

1633 R. 6. Archi-Diaconos (idem est de Archi-Presbyteris) in primæva institutione, hac potestate caruisse, ut habetur c. 5. de offic. Archi-Presb. ibi: *Archi-Diacono non videtur de Ecclesiastica institutione licere (nisi auctoritas Episcoporum accesserit) in aliquos sententiam promulgare.* Quamvis illam aliqui obtineant ex consuetudine approbata, ut patet ex c. *Veniens*, 1. de eo, qui furtivè ordines suscepit; ibi: *quod si non fuerit à te, vel ab aliquo Archi-Diaconorum tuorum sub anathematis interminatione prohibitus*; id, quod etiam colligitur ex c. *dudum*, 54. de elect. V. *Cum in jure*. Ex hoc colligitur, potestatem ferendi censuras, posse acquiri consuetudine & præscriptione; ita Diana Coordinatus tom. 5. tr. 1. de excom. resol. 1. n. 1. & patet ex c. *dudum*, de elect. & electi potestate, c. *Romana*, de sent. excom. in 6. ubi idem dicitur de potestate absolvendi ab excommunicatione lata per alium; colligitur præterea etiam ex c. *auditis*, & c. *Cum olim*, de præscript. Nam jurisdictione potest acquiri præscriptione, c. *Cum contingat*, de foro comper. Ubi nota, præscriptionem non conferre jurisdictionem, sed esse conditionem, quâ posita illam conferat Pontifex; ita Mercerus, & Gordanus apud Dianam loc. cit. §. 2. potest autem hæc potestas præscriptione acquiri circa unam censuram, non circa aliam; Nec enim est inter unam & aliam potestatem necessaria connexio; hinc quando dicitur: *Jus acquisitum circa actus unius generis, extenditur ob similitudinem ad alios*, locum non habet in præscriptionibus, ut habetur c. *Cum olim*, de præscriptione.

1634 Quæstio est, an Parochi habeant ordinariam potestatem ferendi censuras? Leander de cens. tr. 1. D. 1. q. 17. pro parte affirmante citat S. Thomam, Sylvest. & Archidiaconum; sed intelligendi sunt loqui de casu, quo per consuetudinem, aut Episcopi concessionem acquisiverunt; non verò, de Parochis in communi. Sic enim, sicut nullam habent in officii jurisdic-

nem in foro externo, sic nullam jurisdictionem jure communi; ita communis cum Suarez, Bonacin. Sayro & aliis. Nec obstat, quod in c. *Cum Ecclesiarum*, de offic. Ordin. pro rata habeatur excommunicatio, lata à Plebano S. Pancratii in suos subditos; ex quo inferunt aliqui: ergo egit ex potestate jure ordinario sibi competente. Nam respondet 1. Davila p. 2. de cens. c. 3. d. 2. illum simul fuisse præpositum Ecclesiæ collegiatæ; Similibus autem inest jurisdictione ordinaria; hinc non egit, quâ Parochus. R. 2. illam potestatem illi fuisse concessam non jure communi, sed vel privilegio, vel præscriptione, aut consuetudine approbatâ; ex qua etiam habent nonnulli potestatem examinandi res in foro externo: imò licet habuissent potestatem excommunicandi pro rebus subtrahis, vel deperditis, hæc tamen abrogata est per Trid. Sess. 25. de reform. c. 3. & mandatum, ut id faciant soli Episcopi.

§. 3.

*De conditionibus requisitis in ferente censuram jure ordinario.*

Prima est, ut sit ordinis clericalis, seu tertia; prima saltem tonsuræ; quia sine prima tonsura (per quam quis ingreditur statum clericalem, c. *Cum contingat*, de exacte, & qualit. ordinand.) nemo est jure Ecclesiastico capax sacre jurisdictionis; ut habetur expressè c. 2. de judic. ubi prohibentur Laici tractare negotia Ecclesiastica, c. *Cum Laicis*, de rebus Eccles. non alienand. c. *Contingit*, de arbitr. c. Ecclesia, de constitutionibus, & in specie, c. *benedictus*, dist. 96. §. *Maximus Episcopus*; ubi expressè definitur, *non licere Laico anathemata dicere, aut excommunicare.* Non tamen requiritur, ut sit Presbyter, aut alio ordine sacro initiatus; ita Leander sapè cit. contra Gloss. ibid. q. 10. Nam ad exercendam jurisdictionem sacram, non requiritur ordo sacer *jure divino*; cum non sit actus ordinis; nec *jure humano*; cum sacri canones solum exigant clericatum, ut habetur c. *in nova*, 17. q. 7.

Ex hoc inferes 1. nulli Religioso Laico, etiam professo, jure humano committi posse, aut capacem de facto esse jurisdictionis ferendi censuras; Suarez D. 2. f. 3. n. 11. Layman l. 1. Summa tr. 5. p. 1. c. 3. n. 2. apud Castropal. D. 1. p. 4. n. 3. Quamvis Layman ibidem concedat, talem potestatem



stare à Superiore concedi posse Clerico Novitio. Nam talis Laicus, etiam profectus, non est *in re Clericus*, id quod jure Ecclesiastico requiritur ad ejusmodi jurisdictionem. Secundò sceminam esse jure canonico incapacem hujus jurisdictionis, ut habetur c. *Nova*, de poenit. & remissionib. c. *de monialibus*, de sent. excom. c. *dilecta*, de majorit. & obed. ubi dicitur, quòd Abbatissa moniales, & Clericus suæ jurisdictioni subjectos excommunicare non possit, sed Prælatus Ordinis, vel Episcopus. Et ratio est, quia scemina non est Ordinis Clericalis. Neque refert, quòd eodem loco significetur, ad Abbatissam pertinere, dicitas personas, propter inobedientias & culpas commissas, officio, beneficioque suspendere. Nam ad hoc respondet Sylvester V. *Abbatissa* in 6. Suarez D. 2. S. 3. n. 6. verbum *suspensionis* sumi laxè solum pro poena, non censura. Unde quamvis scemina, ex ordinatione Pontificis, possit habere aliquam jurisdictionem sacram, ferendi tamen censuras potestatem excludunt ab illa canones.

1637 Secunda conditio est, ut quis sit capax jure Ecclesiastico jurisdictionis ferendi censuram, *ne sit conjugatus*, quod verum etiam est de Clerico conjugato, licet minores ordines habeat, habitum clericalem deserat, & obsequio alicujus Ecclesie additus sit; constat ex c. *Sanè*, 2. de Cleric. conjugat. quamvis privilegio fori, & canonis tunc gaudeat, ut patet ex c. *unico*, de Cleric. conjug. in 6. juncto Trid. Sess. 23. c. 6. de reform; hinc nemo, nisi Pontifex, tali Clerico potest similem potestatem committere. Ille enim solus potest adversus decreta universalis Ecclesie procedere. Paludan. m. 4. D. 10. q. 2. a. 1. apud Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 2. Excipe Clericum conjugatum, qui unicam, eamque virginam duxit, ab eaque se separavit, edito utrinque castitatis voto. Is enim est capax hujus jurisdictionis, ex cit. c. *sanè*. Tertia est, ut sit homo *viator*. Censura enim sunt arma militantis Ecclesie; ergo solum irrogari possunt per ministros in ea militantes; ita S. Thomas, Ugolinus, Reginaldus, Alterius, Suarez, & alii.

1638 Quarta, ut sit *compos rationis*, & habeat usum illius. Nam aliàs nulla erit acceptatio, quæ tamen requiritur, ut accipiatur jurisdictio. Deinde aliàs non posset iudicium ferre, nec modo humano sen-

tentiam pronuntiare. An autem puero carenti usu rationis possit conferri hæc jurisdictio, ut illam exerceat postea factus adultus? affirmat Alterius l. 3. D. 7. c. 6. col. 3. probans c. *Ex ratione*, de atate, & qualit. ubi summus Pontifex non declarat irritas collationes Ecclesiarum, factas pueris à quodam Episcopo; sed tantum jubet idoneis clericis committi, donec illi pueri ad congruam atatem perveniant. Demum, ut quis habeat delegatam jurisdictionem, sufficit, si consentiat, antequam jus suum exerceat. Sed, probabilius negat Suarez, Corneio, & alii. Nam r. paritas in primo argumento nulla est; ideo enim illas collationes non irritat Pontifex, quia defectus fuit in atate, quam pro tunc voluit supplere Pontifex; non in consensu. Deinde jure naturali ad acceptandam jurisdictionem requiritur actus humanus, qui in talibus pueris esse nequit. Quinta est, *ut sit baptizatus*; qui enim non est membrum Ecclesie, non est capax jurisdictionis Ecclesiasticæ; at qui non est baptizatus, non est membrum Ecclesie; ergo. Hinc excluduntur infideles, Judæi, hæretici; item Apostata ex mente Nicolai Papæ ep. 7. ad Mich. Imperat. dicentis: *non potest quemquam ejus removere sententia, qui se jam probuit ipse removendum.*

Circa nonnullas alias condiciones in 1639 ferente censuram sive jure ordinario, sive delegato, non omnes æque conveniunt. Dubitatur enim 1. an Prælatus vitandus, vel ab officio, aut jurisdictione suspensus, validè ferat censuram? R. negative, cum Suarez D. 2. S. 4. n. 2. Hurtado, Covar. & alii. Nam censura impediunt omnino usum sacre jurisdictionis, ut cavetur in c. *Audivimus*, 24. q. 1. c. *exceptionem*, de exceptionibus, & c. *ad proband.* de sent. & re iudicat. Quod magis patebit ex dicendis infra de effectibus excommunicationis majoris; ubi hoc limitamus ad solos excommunicatos *vitandos*. Idem dicendum est de Vicario Episcopi *vitandi*; ratio est, quia jurisdictio utriusque una est; ergo sin illa privatus sit Episcopus, etiam erit privatus Vicarius; atqui de Episcopo sic est, ut dicemus infra. Hinc etiam ad quæstionem, an saltem Delegatus Prælati delegantis, sed excommunicati vitandi, possit validè censuras ferre? R. si res non sit integra, posse; quia sic non expirat potestas Delegati per excommunicationem delegantis; secus,



si sit integra. Tunc enim ejus potestas exspirat, ut dicemus infra, & patet ex c. *gratum*, 26. de officio, & potest. Judicis delegati. Et ideo etiam Vicarius Episcopi, apud Barbaros captivi, nequit validè censuras ferre; quia tali casu reputatur Episcopus civiliter mortuus; & jurisdictio devolvitur ad Capitulum, donec Episcopus liberetur, vel aliter à Papa disponatur; ergo idem est de ejus Vicario, cum tribunal Episcopi & Vicarii sit idem. ant. pat. ex c. *Si Episcopus*, de suppl. neglig. Prælat. in 6.

1640 Dubitatur 2. quòd dicendum de Prælato excommunicato, non vitando? *R.* etsi aliqui negent, validè ab illo fieri posse censuras; quia tamen probabilius est, cum non privari jurisdictione, ut alibi dicemus, etiam probabilius esse, illum posse censuras ferre validè, sed non licitè, nisi sit requisitus à fidelibus. Si quæras, an idem concedendum sit judici excommunicato non vitando, licet eum excommunicatum esse manifestum sit? negat Layman l. 2. tr. 5. p. 2. c. 5. sed probabilius est, posse validè, ob rationem jam datam. Sic Navarrus, Diana, & alii.

1641 Dubitatur 3. an qui habet potestatem ferendi censuras, validè agat ferendo contra illum, qui prius legitime appellavit, aut reculationem fecit? *R.* negativè, quia appellatio, in tempore facta, suspendit usum jurisdictionis in Judice, ut habetur c. *Romana*, & c. *si à judice*, de appellat. in 6. Idem facit recusatio Judicis, facta prius, quàm sententiam excommunicationis, vel alterius censuræ ferat, ut habetur c. *quoties Episcopi*, 2. q. 6. & docet cum communi Diana coordinatus tr. 1. de excom. resol. 141. quod etiam verum est, non tantum, quando Reus appellat contra sententiam Judicis, factum esse notorium declaranti, sed etiam recusat Judicem excommunicantem; excipe, nisi Judex agat cum potestate, *non obstante appellatione*. Hinc si qui docent contrarium, loquuntur de appellatione non facta in tempore, sed post latam sententiam excommunicationis, aut alterius censuræ quo casu appellatio non habet vim suspendendi ex c. *Ad reprimendum*, de offic. Ordin. sed tantum devolvendi, ut Superior possit cognoscere de justitia excommunicationis.

1642 Dubitatur 4. an validè agat, in se ipsum ferendo censuram? *R.* negativè, quia nemo in se ipsum Superior est, aut

Judex. Hinc si Episcopus ferat legem sub interminatione censuræ, qui illam violaverit, Episcopus non incurret poenam, quàm ipse posuit; ita Gibalinus de jurisdictione sacra, disquisit. 4. q. 2. Confectario 1. Unde negandum est, quòd tali casu Episcopus censuram ferat autoritate Papæ. Quod diximus de Episcopo, etiam est de Capitulo; aut Collegio integro; quamvis hoc sancire possit censuras in singulas personas de Capitulo, vel Collegio. Totum enim imperare potest parti, ut habetur c. *Irrefragabilis*, de offic. Ordinar.

Dices: Potest Episcopus ferre legem in lufores aleæ sub excommunicatione, & deinde talem excommunicatum invitare, ut secum aleam ludat; quo casu Episcopus incurret excommunicationem minorem propter communicationem cum tali excommunicato. *R.* posse quem, occasione censuræ à se lata, incurere censuram latam à jure, ut si quis communicet cum excommunicato à se, & vitando; vel celebret in Ecclesia à se interdicta; tum enim incurret irregularitatem, ut notat Diana tr. 1. de excomm. resol. 2. §. 1. in dicto tamen casu Episcopum non incidere in excommunicationem minorem 1. quia collator non est vitandus 2. non incidet in excommunicationem à se latam; excommunicatio enim minor est à jure lata 3. quia probabilius est, quòd si Episcopus, ad lufum à se vitatum, invitet alium, cum eo pro hoc casu, in sua lege, dispenset; ita Gibalinus cit. confect. 1. §. *quia tamen*.

Dubitatur 5. an Prælati Ecclesiastici possit ferre censuram in causa propria? Communis sententia negat; quia quæ parte est actor, est subditus; quæ parte est Judex, debet esse superior: propriè autem nemo est sibi subditus & superior; ergo sic c. *Inter querelas*, 23. q. 4. & docet Suarez D. 2. S. 4. n. 5. Hoc tamen limitat Diana cit. resol. 2. §. 1. cum ferret censuram in causa propria per modum judicii, quod etiam approbat Leander tr. 1. de cens. in communi D. 2. q. 41. qui tamen cum Diana cit. admittit, eum posse, si ferat per modum defensionis contra violentum invasorem, vel ad repellendam injuriam. Nam jure naturali licet vim vi repellere, ac se defendere; neque tunc Prælati procedit ut Judex, sed ut se ipsum defendens. Et sic intelligendum esse, atque intelligi ab Innocentio IV. Capitalium: *inter querelas*, ostent.



ostendit Diana ex c. *dilecto filio*, de sent. excom. in 6. & clarè definitur c. *dilecto*, de sent. excom. in 6. Cœterùm Abbas ad c. *Cum venisset*, de iudiciis, docet, idem licere, etiã per modum *iudicii*, ubi causa est tam manifesta, ut negari non possit, neque indigeat examinari; cui etiã assentitur Mercerus apud Dianam loc. cit. videturque idem tenere Leander, q. 43. referens complures. Tum enim Iudex non est simul actor, cum res non egeat examine.

1645 Dubitatur 6. an censura sit valida, quæ fertur sine intentione illam infligendi? *Re* negativè; quia tunc Superior non agit actu humano, quod tamen necessarium est; cum sit exercitium jurisdictionis humanæ; ita Gibalin. cit. disquisit. 3. q. 3. & Leander cit. q. 45. Ex quo etiã deducitur, censuram fore nullam, si non feratur liberè. Actus enim non liber, non est actus humanus.

1646 Dubitatur 7. an sit valida, si feratur ex metu cadente in virum constantem, aut vi illata Prælato? Negant aliqui, ut refert Leander cit. q. 47. quos inter Ugolinus, & Sayrus; Sed probabilius est valere; ita Suarez, Coninch. & Hurrad. quos citat, & sequitur Castropalaus de Cenf. D. 1. p. 5. n. 2. Nam *gesta per metum* jure naturæ valida sunt, nisi aliunde jure positivo irriterentur, vel inducant actum, qui ubi semel valet, rescindi non potest humano jure, ex quo nascitur malum eodem jure irreparabile; metus enim non tollit simpliciter voluntarium: in jure autem positivo, inquit Castropalaus, nihil invenitur, quod irritaret censuram ex metu latam; ergo.

1647 Dices: absolutio à censuris ex metu facta, nulla est, ex c. *unico*, de his, quæ vi, metu, & causa fiunt; sed idem est de impositione censuræ. Nam c. *Verbum* 5 1. dist. 1. de pœnit. dicitur, quod par sit jus ligandi, & solvendi. Sed *Re*. C. ma. N. min. ad dictum c. *Verbum* *Re*. id verum esse, per se loquendo, non autem per accidens. Sic licet Episcopus possit incendiarium nominatim excommunicare, solum tamen Pontifex absolvit, ex c. *Tua nos*, de sent. excom. Et ratio est, quia, quod censuræ absolutio ex metu facta, jure positivo nulla sit, fit in favorem potestatis Ecclesiasticæ; cum Prælati ad solvendum cogi possint; ferre autem censuram ex metu non est sic in ejusdem favorem, neque in favorem delicti, sicut

Tom. V.

posse metu adigere ad absolutionem. Deinde dictum c. *Verbum*, est solum Divi Ambrosii; qui non dicit ibi, quod par sit jus ligandi & solvendi; sed quod Dominus, *par jus, ligandi & solvendi esse voluerit*, ut qui solvendi jus non habet, nec ligandi habeat; quod stat, esto non sit par utriusque ratio in quacunque circumstantia. Ex dictis colliges, in ferente censuram præter conditiones jam præmissas, requiri, ne censuram ferat, dum est excommunicatus vitandus; quod etiã intellige de Vicario Episcopi taliter excommunicati, vel captivi apud Barbaros; ne post legitimam appellationem, vel Judicis recusationem; ne per modum Judicis in propria causa juxta dicta à 1635. ne in seipsum &c. de quibus jam dictum est à n.

Præter hæc not. universaliter, censura 1648 ram ex parte ferentis reddi invalidam, si aut non sit potestas in ferente, aut si usus potestatis non sit validus, ut docet Gibalin. cit. disquisit. 3. q. 3. quod etiã verum est, si Superior illius potestatis talem sibi tunc potestatem reservaret. Ex quo inferitur, quod post Tridentinum soli Episcopi possint concedere monitoria, & excommunicationes illis annexas ad finem restitutionis & revelationis; quamvis id etiã alii prius jure antiquo potuissent. Hanc enim potestatem restrinxit Trid. Sess. 25. de reform. c. 3. quamvis aliqui apud Gibalinum loc. cit. n. 5. existiment, ibi dictam potestatem restringi solum quoad Prælatos Episcopo inferiores, eique subjectos: non autem quoad Prælatos regulares, qui in suos habent potestatem quasi Episcopalem.

Ugolinus autem, Sayrus, & alii ibid. 1649 existimant dicto Decreto Tridentini hanc potestatem restringi, ita, ut nec per Vicarium suum generalem possit Episcopus ferre ejusmodi monitoria, sed illum egere speciali commissione Episcopi: verum rectius negant Garcia, Guttier. Suar. D. 20. hic, S. 1. n. 2. Sanchez l. 3. de matr. D. 29. n. 19. quos refert, & sequitur Gibalinus cit. n. 7. hæc enim potestas pertinet ad ordinariam potestatem Vicarii generalis, qui habet unum, & idem tribunal cum Episcopo ex c. 2. de consuetud. in 6. & c. *Romana*, de appell. in 6. Hinc non appellatur à Vicario generali ad Episcopum, Gibal. cit. n. 7. Et ideo nomine Episcopi intelligitur etiã Vicarius generalis, nisi quid addatur, quo significetur, excludi Vicarium, & Episcopum

Aaa 2

pum



pum debere agere per se ipsum, non per Vicarium. Gibal. cit. ex Garcia.

1650 Declarationes autem Cardinalium, quæ adducuntur in oppositum, sunt sibi ipsis contrariæ super eo Decreto Tridentini, ut idem notat ex Garcia; atque adeo nihil obsunt; præsertim, cum declaratio nihil novi faciat, sed tantum jus explicet, nec quicquam concedat, nisi conscientia quietem, ut docet Bruno Chaffaing in privileg. regularium tr. 1. c. 2. propos. 1. & apud eum Suarez delegib. lib. 8. c. 1. n. 7. Neque, ut Vicarius ferat monitoria, requiritur absentia Episcopi à diœcesi; potest enim, eo etiam præsentem, exercere sua munia, præter ea, quæ excipiuntur, vel reverentia Episcopo debita non patitur fieri eo præsentem, Gibal. cit. n. 7. in fine. Et hoc etiam procedit de Vicario generali Capituli Sede vacante, quo casu tota jurisdictio Episcopi transit ad illud ex c. *Cum olim*, de majorit. & obed. ita Guttier. & Barbosa, quos citat, & sequitur Gibal. n. 8.

1651 Not. 2. quod, quamvis nullus Episcopus, vel prælatus habens capitulum, spectato juris rigore, sine consensu capituli possit interdiceri Clericos (secus de Laicis) ut habetur c. 1. de excess. Prælat. c. *Novit, c. quando*; de his, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli, & c. *cum in cunctis*, de his, quæ fiunt à majori parte Capituli; usu tamen, & consuetudine contrariâ illi juri derogatum sit, & jam valide possit; ita gloss. in c. 1. de excess. Prælat. V. *Capituli*. Ugolinus, Sayrus, Suarez, D. 36. l. 1. n. 6. quos citat, & sequitur Gibal. n. 9. Capitulum tamen, sede non vacante, nequit absque Prælato suo quemquam interdiceri, c. *quævis*, de his, quæ fiunt à majori parte Capituli; nisi habeat privilegium à Papa, & longo usu, vel consuetudine quoad hanc independenciam præscripserit; Covarruv. Henriq. Avila, Suarez D. 36. l. 1. n. 5. quos citat, & sequitur Gibal. n. 9. in fine. Prælati autem regulares, quamvis de jure possint Religiosos sibi subditos, & jurisdictioni subjecta loca interdiceri; consuetudine tamen in hoc imminutam habent potestatem, saltem quoad interdictum locale, nisi aliquam jurisdictionem habeant in plebem; Gibal. cit. n. 10. cui consentiunt Henriquez, Hurtado, Layman l. 1. tr. 5. p. 4. c. 4. n. 1. Suarez D. 36. l. 1. n. 2.

S. 4.

*De Personis, quæ vi delegationis possunt ferre censuras.*

Quæstio est 1. an merè Laici possint ferre censuram ex commissione Pontificis? Negare videtur Covarruv. in c. *Alma mater* p. 1. §. 11. n. 3. Sed rectius affirmant Suarez, Hurtado, Layman, Diana, & alii quia, quod nunc sint incapaces, oritur solum ex jure Pontificio, ut constat ex c. *decernimus*, de judiciis; in hoc autem potest Pontifex, justâ interveniente causâ, ex plenitudine potestatis dispensare. Non possunt tamen ex commissione alicujus inferioris Papæ; quia nullus inferior potest dispensare in lege Superioris: hæc autem incapacitas est ex lege Sacrorum Canonum, facta per summum Pontificem; ergo.

Quæstio est 2. an Collegio, constato ex Clericis, & Laicis, possit ab Episcopo committi potestas ferendi censuram? Non collegium dici Ecclesiasticum, si vel omnes, vel major pars est ex Clericis; vel seculare, si contra; quibus positis: re. posse, si sit Ecclesiasticum; tunc enim habet etiam potestatem ordinariam; non verò, si tantum seculare; ratio est ex num. præced. Si verò Laici, & Clerici sint pares in numero, adhuc dicitur Collegium Ecclesiasticum; quia magis dignum trahit ad se minus dignum, ex c. *quod in dubis* 3. de consecrat. Ecclesiæ.

Quæstio est 3. an foemina ex commissione Summi Pontificis possit ferre censuras? Negat Avila, Victoria, & alii apud Leandrum q. 31. ratio est, quia hæc potestas saltem mediâtè pertinet ad clavim Ordinis, cujus foemina jure divino sunt incapaces. Hinc Avila & Coninch, D. 13. d. 4. n. 33. apud Castropal. & Layman docent, eas illius jurisdictionis esse incapaces jure divino: sed probabilius affirmant, Layman cit. n. 4. Castropal. cit. n. 5. & apud illos Paludanus, Navarr. Filliucius, Gaspar Hurtado & alii, docentes esse tantum incapaces jure Pontificio; in quo Papa dispensare potest. Unde negandum est, quod hæc potestas jurisdictionis supponat potestatem Ordinis, ut patet ex n. 1652. ubi conceditur ex commissione Pontificis, convenire posse merè Laicis. Non potest tamen ex commissione solius Episcopi.

Quæstio est 4. an non baptizatus ex commissione Summi Pontificis terre possit censu-



cenfuras? negat Suarez D. 2. S. 3. n. 12. quia infidelis non est membrum Ecclesiae; ergo iure divino est incapax sacrae iurisdictionis; cum haec debeat residere in eo, qui est unum cum corpore mystico Ecclesiae: affirmat tamen Leander cit. q. 32. putans baptismum in tali subiecto, ad hunc actum, requiri solum iure humano. 1. quia etiam talis non baptizatus potest ministrare (quantum est ex iure divino) Sacramentum baptismi. 2. Quia tunc, utpote delegatus, operaretur nomine delegantis Papae. Sed probabilior mihi videtur sententia negans; nam simpliciter baptizare non est actus iurisdictionis Ecclesiasticae; & delegatio supponit subiecti habilitatem.

### ARTICULUS IV.

#### De Subiecto Cenfurae.

1656 **Q**Uaeremus hic, in quem cenfura ferri possit, aut non possit? Non enim quilibet est subiectum capax, in quem haec poena derivetur, ut patebit ex sequentibus. Subiectum Ecclesiasticae cenfurae non esse nisi hominem, communis tenet cum Navarro, Suarez, Coninch, Layman, & aliis apud Castropalaum D. 1. de cens. p. 6. n. 1. ratio est, quia, ut dicemus n. 1663. cenfura ferri non potest, nisi in subditum potestati Ecclesiasticae, qualis est solus homo, quamvis non quilibet quoad omnia. Ex eo autem, quod Ecclesia creaturas irracionales homini noxias quandoque anathematizet, non est, quod cenfura ferat; sed quia illas detestatur, & execratur; hoc enim interdum significat anathema, ut constat ex ep. 1. Pauli ad Galat. his praemissis:

1657 **Q**uestio est 1. an subiectum cenfura debeat esse homo viator? R. subiectum, cenfurae directe capax, non esse, nisi hominem vivum; Sic Castropal. cit. n. 1. & apud illum Navarr. Covar. Suar. Avila, Layman contra Abbatem, Tabien. Gabriel. Ugolin. P. Bauny; & alii apud Leandrum tr. 1. de cens. D. 3. q. 4. ratio est, quia nec ferri potest in solam animam; cum sit extra forum Ecclesiae: nec in corpus, cum sit incapax rationis, & emendationis. Et patet ex verbis Christi Math. 16. *quacunq; ligaveris super terram; in quae verba Gratianus 24. q. 2. super terram, inquit, non sub terra; ostendens, quod de mortuis sententiam ferre non possimus.* Nam ut

Leo. 1. ad Rustic. Episcopum Narbonensem, epist. 90. vel ut alii, 92. c. 7. *horum causa DEI iudicio reservanda est.* Ex quo sequitur, in mortuos non posse cenfuram directe ferri.

Dixi directe. Nam indirecte potest, ut 1658 bene notat Barbof. in c. *a nobis*, 2. de sent. excom. n. 4. hoc enim aliud non est, quam propter delictum decedentium ex hac vita, ligare vivos, ut eis non impendant certa obsequia, v. g. sepulturam sacram, & similes caeremonias in Ecclesia. Unde similis obligatio directe tangit vivos, & indirecte solum, scilicet ratione vivorum, qui prohibentur exercere dicta obsequia, quosdam cenfurae effectus derivat Ecclesia in defunctos. Et hoc solum probant illi textus, quibus adversarii probant *excommunicari defunctos*, vel a cenfura solvi, scilicet *indirecte*; quatenus nimirum directe vivis imponitur, vel tollitur aliqua obligatio per ordinem ad mortuos ob eorum delictum. Deinde aliud est, cenfuram *incurri a mortuis*, aliud, *declarari de mortuis*, quod ipsam incurrerint vivi, & sine absolutione ab illa decesserint. Primum ex nullo textu probatur, bene tamen secundum, ita Gibalinus cit. disq. 3. q. 2. n. 7.

Ex hoc etiam sequitur, eum, qui man. 1659 dat fieri delictum, cui annexa est cenfura, sed moritur ante illius executionem, nullam cenfuram incurrere; quia tunc non est amplius in statu viae, cum scilicet non consummeretur delictum ipso vivente, prout cadit sub cenfuram; Castropal. Laym. & Gibalin. disq. 3. q. 2. hoc autem procedit solum, cum cenfura fertur in mandantem accessorie; non vero si principaliter, ut patet ex dicendis infra. Idem est de quavis cenfura sub conditione, si alter moritur ante conditionis eventum, ut habet Leander cit. q. 6.

1660 **Q**uestio 2. est, an subiectum cenfura debeat esse homo baptizatus? R. affirmative cum communi; quia non baptizati nec sunt subditi Ecclesiae, nec capaces bonorum spiritualium, quibus privant cenfura. Et ideo de illis Ecclesia iudicare nequit, iuxta illud Pauli ad Cor. 5. de his, *qui foris sunt, nihil ad nos.* Ex quo inferes, Haereticos vel Apostatas posse ligari cenfura, quia propter characterem, quem acceperunt in baptismo, semper manent subditi Ecclesiasticae iurisdictioni; non autem Turcas, & similes non baptizatos; nec etiam Cathe-



cumenos ex eadem ratione; ita communis cum Leandro cit. q. 8. contra Archi-Diaconum, ejusque sequaces.

1661 Quæstio 3. est, an subjectum censuræ debeat esse homo compos rationis? *ꝛ.* illum non esse capacem censuræ, qui, dum ponit actum sub censura prohibitum, non est compos rationis; quia tunc non committit culpam. Ebrius autem, vel amens, qui prius erat compos rationis, dum commisit delictum, potest ligari censurâ, quod intellige, si amentia non sit perpetua; si enim talis foret, caderet spes omnis poenæ medicinalis; ita Layman loquens de censura, quæ fertur ab homine. Responsionem nostram tenent Suarez, & Layman l. 1. Sum. tr. 5. p. 2. n. 3. quos citat & sequitur Castropalaus. Tunc enim adesset omne illud, quod requiritur ad ponendam causam censuræ, scilicet cum usu rationis, liberè commissum delictum sub censura vetitum. Si verò quid committant pro statu, quo carent usu rationis, ligari nequeunt. Tunc enim sunt expertes culpæ. Priorem casum de iis, qui post delictum incidunt in amentiam, quem Layman restringit ad censuram ab homine, meritò ex eadem ratione extendit Leander cit. q. 15. etiam ad censuram à jure.

1662 Quæstio 4. est, an in subjecto censuræ ultra usum rationis requiratur etiam pubertas? *ꝛ.* pueros impuberes, rationis capaces, posse ligari censuris à jure latis; ita Suarez D. 5. S. 1. n. 17. Coninch, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus contra Abbatem, Lupum, & Ugolinum; quia sunt capaces delicti sub censura prohibiti, nec requiritur ad censuram, ut impubes citetur, vel in judicio compareat (ut supponunt adversarii) nec ullo jure eximitur. Idem censet Castropalaus de censura per sententiam specialem; quia possunt impuberes in judicio respondere medio tutore, vel procuratore; aut etiam tantum instrui, ut non minus intelligant, quàm puberes: Suarez autem, Vasquez, Corduba, Henricus Diana, & alii contra Hurtadum & Alterium docent defacto non velle Ecclesiam impuberes coercere censuris, nisi aliàs ex verbis juris, aut inflictæ censuræ contrarium expressè innotescat, 1. quia convenientius est, tales punire poenis, quibus facilius coercerentur, 2. quia ex pietate Ecclesiæ præsumi potest, quod nolit in illis descendere usque ad impuberes. Sed huic

resolutioni videtur ob stare *c. Super eo* 1. de sent. excom. ubi Pontifex loquitur de impubere Clerico alterum percussente. Coeterùm lib. 1. tit. 2. de Constitut. tanquam probabilibus amplexi sumus; impuberes non ligari censuris, & poenis Ecclesiasticis, latis non tantum ab homine, sed etiam à jure, exceptâ solâ excommunicatione ipso jure lata ob Clerici percussorem, de quo procedit dictum *c. super eo*.

Quæstio 5. est, an censura ferri possit in non subditum? *ꝛ.* negativè; quia sicut in ferente requiritur jurisdictio pro foro externo; sic in eo, in quem fertur, requiritur subjectio; hæc enim sunt correlativa, ut bene notat Suarez D. 5. S. 1. n. 26. & patet tum ex *c. Romana*, de sent. excom. in 6. tum ex *c. A nobis*, de sent. excom. hinc licet excommunicatio lata in non subditum deinde etiam a Judice proprio rata habeatur, adhuc nulla est, ut bene docet Gibalinus de jurisdict. sacra, disq. 4. q. 1. in principio; quod enim principio nullum fuit, nunquam ratum haberi potest. Nam Declaratio nihil novi facit (ut docet Suarez de leg. l. 8. c. 1. n. 7.) sed jus explicat; nec quicquam concedit: ergo si prius jus nullum fuit, etiam post talem ratihabitionem nullum erit, nisi accedat nova sententia proprii Judicis non tantum declaratoria, vel confirmatoria prioris juris, sed revera statuens novum jus; ita Gibalinus cit. juxta *c. prudentiam*, de offic. & potest. judic. delegari.

Ex hac responsione sequitur. 1. quod nemo in se ipsum ferre possit censuram, quamvis possit quis denunciare censuram contra se latam ab alio. Sic enim jam esset distinctio inter eum, qui fert, & inter eum, in quem fertur censura; Gibal. cit. consecr. 1. in fine. Sequitur 2. censuram ferri non posse in Superiorem, vel æqualem ferenti, intellige, si sint æquales jurisdictione; nam par in parem non habet imperium ex *c. Innovit*, de elect. in 6. neque inferior in Superiorem. Aliud dicendum esset, si forent æquales solum in dignitate, sed in diversis territoriis & jurisdictionibus. Sic potest Episcopus delinquens in aliena dioecesi, vel etiam Archi-Episcopus in territorio sui suffraganei Episcopi etiam censuris puniri; ita Gibalinus de sacra jurisdict. disq. 4. q. 1. consecr. 2. Tum enim talis delinquens, ratione delicti, fit subditus Domino talis territorii sacri. Quod existimo verum, si delictum sit contra legem communem,



municipem, non municipalem, vel particularem talis Episcopi. Hac enim non tenentur, qui non sunt proprii subditi, ut docet Layman. de leg. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 5. Nec valet id, quod assertit Archi-Diaconus ex c. *Placuit* 6. q. 3. probans ex illo Superiorem ab inferiore posse censurâ notari; quia in illo solum dicitur, quod subditus unius Episcopi possit excommunicari ab altero Episcopo, in causa furti, quod in eius diocesi, & jurisdictione commissum est. Sequitur 3. in Summum Pontificem à nullo homine posse fieri censuram; quia nulli est subditus. Excipit tamen Leander q. 18. casum, quo Papa incidere in hæresim; quo casu (etsi Corneio neget Papam à Concilio compelli posse censuris ad comparandum) probabilis tamen affirmatur cum pluribus ex c. *Si Papa*, dist. 40. ubi dicitur, ut nullus mortalium culpas Papæ redarguere præsumat, nisi deprehendatur à fide devius.

1665 Si petas, an Episcopus diocesis, in qua peccatum est admissum, punire possit auctorem ejus, quamvis diversa sit diocesis à sua? R. Episcopum posse advenam, qui in sua diocesi deliquit, jubere, ut satisfaciat læso, & si nolit, etiam censuris coercere, quam diu est intra diocesis; ita Baunus de Cens. tr. 1. q. 11. quia delictum non facit aliquem absolute subditum illius loci, in quo deliquit; sed tantum, quamdiu ibi est, ergo solum in dato casu puniri potest à tali Episcopo. Excipe, nisi legitime fuerit citatus, hinc si post talem citationem abeat, potest à suo Episcopo ad alterius preces cogi, ut se illi sistat. An verò ratione delicti in aliena diocesi præcisè commissi censuris pleæti possit advena, dicam in sequentibus. Hinc

1666 Quæstio est 6. an censura ligent advenas? Universalis regula hæc esse potest: ubi aliquis definit esse subditus Episcopi, ibi non potest ab illo ligari censurâ: ibi potest, ubi incipit esse subditus, ita Gibal. cit. disquis. 2. q. 3. n. 1. ratio est, quia nemo potest ferre censuram in non subditum; potest verò in subditum, ex dictis. Ex hoc deducunt aliqui, quod advena non incurrat censuram in ea diocesi, ad quam venit sine animo figendi domicilium, aut per longum tempus ibidem commorandi, statuto, aut sententiâ speciali, vel etiam generali, sed solum diocesana latam. Ratio est, quia talis advena non est illius Episco-

pi subditus, nec ligatur specialibus illius loci legibus, ut docet Palud. Sylv. Sanch. Coninch, Azor, & alii, quos citat, & sequitur Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 4. & desumitur ex L. *Hæres autem*, ff. de indicis, arguiturque ex c. *ult.* de foro compet. Sed hoc resolvendum est, juxta diversas sententias in quæstione, an, & qualiter advenæ, & peregrini ligentur, vel non ligentur specialibus statutis locorum, ad quæ veniunt, aut quæ transeunt, de quibus egimus l. 1. Tit. 2. de Constitut.

Aliud est, si quæstio fiat de censuris à 1667 jure, vel ab homine latis, etiam per statuta specialia locorum, in quæ veniunt, sincedant animo ibi figendi domicilium, aut quasi domicilium; quod fit, si veniant animo ibi per longum tempus commorandi, tunc enim omnino etiam illis, si delinquant, involvuntur; quia tunc fiunt subditi illius territorii, atque adeo specialibus ejus etiam legibus ligantur; est communis, & tenet Paludanus, S. Antonin. Suarez, Sylv. Sanchez & alii, quos citat, & sequitur Layman de legib. tr. 4. c. 12. & constat ex c. *ult.* de foro compet. quod tamen non procedit de iis, qui veniunt animo manendi ad breve tempus, sed per accidens manent diutius, quia negotium v. g. spe tardius procedit. Si autem dicatur, eos non obligari specialibus locorum statutis; secus est.

Dices 1. quando extranei delinquant 1668 contra specialem legem loci, in quo sunt advenæ, ratione delicti fiunt subditi talis loci; ergo incurrunt censuras tali lege specialiter latis. R. si loquamur in suppositione, quod non ligentur specialibus locorum statutis; negari suppositum antecedentis, quod advenæ delinquant, dum in tali loco agunt id, quod ejus statuto speciali vetitum est. Prius enim requiritur, ut illos obliget ea lex specialis, quam ut contra illam peccent. Ad illud autem requiritur, ut sint subditi Superioris ejus loci, quod respectu advenarum deficit. Sic etiam Barbosa in c. *à nobis*. h. t. n. 4.

Dices 2. is, qui furtum in aliena diocesi 1669 sub excommunicatione vetitum committit, fit subditus Episcopi illius loci ratione delicti, licet sit advena; ergo advenæ ligantur censuris latis à statuto speciali. R. quod talis fur delinquat, quatenus agit contra legem communem de non furando; non autem contra legem specialem loci; hac



hac enim non tenetur in dicta suppositione. Unde concedo, quod ratione furti, ut est contra legem communem, fiat subditus illius loci Episcopi, ab eoque cogi possit censuris ad satisfaciendum; non verò ratione furti, ut est contra legem peculiarem loci, sic Gibalin. cit. disq. 3. q. 1. n. 11.

1670 *Questio est 7. an censura ligent existentes extra territorium? Pro resolut. not. 1. quod subditus alicujus Episcopi dupliciter possit committere rem ab Episcopo sub censura vetitam, 1. intra diocesim, 2. extra. Not. 2. aliquid sub censura prohiberi posse, vel per statutum, vel per sententiam generalem, aut specialem. Not. 3. discrimen esse inter statutum, & sententiam; illud enim non ligat, nisi ratione territorii, si scilicet delinquens intra illud existat; hæc verò afficit personam ubique existentem; ita Suarez D. 5. de cens. s. 5. n. 14. & 15. quem refert, & sequitur Gibal. cit. q. 3. §. Non autem. Ex hoc dicendum, quod leges territorii non ligent cives absentes, ita Sylv. Covar. Less. Suar. Sanch. & alii, quos citat, & sequitur Layman cit. c. 11. & deducitur ex c. 2. de constitutionibus in 6. ubi dicitur, quod *statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, sententia excommunicationis promulgatur subditi ejus, qui furtum extra diocesim illius committunt, minimè ligari noscantur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.**

1671 Ad hoc ultimo puncto excipi à nonnullis solet statutum, quod præcipuè respicit rem in territorio sitam, vel ipsius commodum; tunc enim volunt illo etiam absentes ligari, Abbas, Sylvester, Sayrus, & Suarez apud Layman cit. id, quod habetur in c. *Ex tua*, 11. de Cleric. non resident. ibi: *in Ecclesiis eorum, qui se fraudulenter absentant, nec ab ipsis valet citatio pervenire: trina citationis edictum facias publicari: & si nec sic curaverint obedire: & ultra sex menses suas deseruerint Ecclesiis, juxta Sanctiones Canonicas, eis debent merito spoliari.* Tale statutum est, ut Clerici certo anni tempore veniant ad Synodum; id, quod Gibalinus putat tunc procedere, quando non ponitur actus, qui ponendus erat intra territorium, disquis. 4. q. 2. n. 5.

1672 Si pétas; quid dicendum de legibus communibus? R. peregrinos etiam non ligari legibus, à quibus eximuntur incolæ

locorum, ad quæ peregrini advenerant. Est enim privilegium quasi locale, quo peregrinus frui potest, ita Suarez, Sanchez, & alii, quos citat, & sequitur Layman cit. n. 4. quod verum esse volunt, si in eodem loco sint duæ parochiæ, in quarum una ligant, in altera non ligant ejusmodi leges, si sint in loco ab illis exempto. Præter hæc advertendum, ex dicendis, ad censuram requiri actum externum consummatum in ea ratione, sub qua prohibetur, quamvis ad alias poenas subinde sufficiat delictum inchoasse; Suarez de cens. D. 5. f. 4. n. 1. quem citat & sequitur Gibal. cit. §. *Alterum.* Hinc colligit Suarez, ibi delictum cenferi committi per ordinem ad incurrendam censuram, ubi exterius consummatur, quamvis inchoetur alibi de quo V. quæ diximus l. 1. Tit. 2. de Constitut.

Ex his inferitur 1. quod subditus extra territorium committens factum, per aliquod statutum suæ diocesis sub censura prohibitum, non incurrat censuram; quia tale statutum non ligat extra territorium per n. 1670. ita Layman l. 1. tr. 5. c. 4. n. 6. Gibal. cit. n. 4. & clarè definitur à Bonifacio VIII. c. *ut animarum*, 2. §. *statuto Episcopi, de constitutionibus in 6. relato à nobis sup.* Inferitur 2. quod non incurrat censuram in sua diocesi statuto latam in homicidas, qui in tali loco alterum lethaliter vulnerat, primò morientem extra diocesim; ita Suarez D. 5. f. 5. n. 9. quem citat, & sequitur Layman n. 6. & tenet Diana, tr. 1. de excom. resol. 100. n. 2. & resol. 102. n. 4. quia delictum non consummatur ibi, ubi sub censura est vetitum.

*Questio est 8. An subditus incurrat censuram, agendo extra diocesim, quod ipsi mandato speciali prohibitum est ab Episcopo proprio? R. id negari à Coninch. D. 13. d. 7. Avila, Henricq. & Sayro apud Layman cit. n. 6. quos sequitur Diana tr. 1. de excom. resol. 98. & 99. quia sic Episcopus diceret jus extra territorium. Extra territorium autem dicenti jus impune non pareatur ex c. *ut animarum*, de constitut. in 6. affirmari autem ab Ugolino Layman, Bonacinà & aliis, quos refert, & sequitur Gibal. disq. 3. q. 1. n. 9. Ratio est 1. quia dictum c. *ut animarum* loquitur solum, cum per hoc invaditur, & violatur alienum territorium, in illo dicendo jus, cum strepitum forensi, cognitione causæ, &c. ita Abbas*



inc. *Novit*, n. 3. de offic. Legati, Navarr. c. 27. n. 6. Sayrus, quos citat, & sequitur Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 8. Deinde censura lata sententia non requirit, ut jus ulterius dicatur, quia trahit insensibilem executionem secum juxta c. *Pastoralis*, in fine, de appellationibus.

1675 §. Si tale factum, extra dioecesim commissum, delinquenti prohibitum sit statuto speciali, non contrahi censuram; sed, si præcepto, seu mandato speciali. Ratio primi est; quia statutum, etiam speciale, non afficit subditum immediate, nisi ratione loci, qui statuenti subest; ergo, si delictum non committitur in loco statuenti subiecto, lex seu statutum illud poenale non afficit subditum, nisi cum est in loco subiecto. Unde c. *ut animarum*, non loquitur solum de sententia Judicis cum strepitu forensi, sed de quacunque, quæ fundatur in statuto, seu dispositione, sive præceptiva, sive prohibitiva, ratione territorii: ratio secundi est ex natura mandati, seu præcepti. Hoc enim afficit immediate subditum, ubicunque existat; licet executio poenæ, si judicialis esse debeat, fieri nequeat in quovis loco.

1676 Ex his inferes 1. in eos, qui Episcopo sunt subditi ratione domicilii, vel beneficii, etiam dum existunt extra dioecesim, dici posse sententiam ab Episcopo, si delinquant vel contra statutum intra locum, quo ligat; vel etiam extra, si contra præceptum. Hinc quando dicitur, Episcopum non habere subditos extra dioecesim, intellige illos, in quos ibi agere possit judicialiter, & cum strepitu forensi; ita Layman cit. & Diana tr. 1. de excom. resol. 99. n. 5. in fine contra Basilium Pontium de matrim. l. 5. c. 7. §. 2. n. 20. apud Dianam cit. resol. 98. n. 7.

1677 Inferes 2. Episcopi legislatrici potestati non ob stare, quod propter delictum intra territorium commissum, incurraur ipso facto censura etiam extra territorium; ita Laym. cit. c. 4. n. 7. Hinc qui subditus est Episcopo ratione domicilii, licet fugiat commissio delicto, etiam absens citari potest per nuntium, vel literas; & si contumax sit, excommunicari, c. *Ex tua*, de Clericis non residentibus. Sic enim Episcopus dicit jus intra suum territorium, licet illud exequatur nuntius extra illud; quia hæc executio non est judicialis; ita Abbas apud Laym. loc. cit.

Tom. V.

Quæstio est 9. quid dicendum sit, 1678 quando censura fertur propter delictum præteritum? 1. delinquentem teneri censurâ latâ per Episcopum, in cujus territorio peccavit, si, priusquam mutavit domicilium, est lata, vel illi saltem per citationem virtuales intentata. Quia quoties causa in aliquo tribunali incepta fuit, in illo finienda est, L. *Si quis*, de judic. ff. & c. *Proposuisse nobis*, 19. de foro compet. ibi: *Proposuisse nobis, quod quidam subditus tuus ad petitionem cujusdam adversarii sui, à te legitime citatus ad causam, quia postmodum jurisdictionis alterius esse cepit, tuum intendit judicium declinare. Porro tue prudentie dubium esse non credimus, quod is in prædicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab illo jam preventus*; excipe nisi vel jussu Episcopi, vel ob commune bonum mutaverit domicilium; tunc enim desineret esse subditus prioris Episcopi etiam in causis coram illo inchoatis, ex doctrina Bartoli ad L. 1. ff. de poenis: Si verò post commissam culpam prius, quàm censura, vel ejus causa litigari cœpta est, mutavit domicilium, non ligabitur censurâ.

Ex hoc sequitur 1. posse quem ficti subditum alterius ratione delicti in territorio illius commissi, licet ei prius non fuerit subditus; ex c. *ult.* de foro compet. 2. Cum quis ratione delicti sit subditus alterius, cum non manere subditum, nisi quàm diu manet in loco, in quo deliquit; non verò si recessit, nisi jam inchoatâ sit causa. Sic Armilla V. *Excommunicatio*, n. 35. Layman c. 4. n. 7. Tertio, quod censura lata per statutum liget non tantum illos, qui subditi sunt eo tempore, quo statutum conditur, sed etiam, quæ deinde fiunt; sententia verò tantum eos, qui, dum ferebatur, actu subditi erant; illud enim est perpetuum, & semper loquitur ex L. *Arriani*, C. de hæreticis; hæc verò refertur solum ad tempus, quo fertur, assumitque vires omnes in continenti; ita Panormit. apud Gibalin. disq. 3. q. 1. n. 12. Statutum verò habet tractum successivum. Quarto Regularium Ordinum Prælatos, quibus jurisdictio in suos competit ratione voti obedientiæ, non territorii, posse suos obligare præceptis, ubicunque sint, atque adeo existentes in alieno territorio citare, excommunicare, &c. ita Ugolin. & Suarez cum Layman, loc. cit.

Bbb

ARTI.



## ARTICULUS V.

*De censuris in Exemptos.*

1680 **A**Nte resolutionem supponendum, monasteria, & loca exempta à jurisdictione Episcopi, licet materialiter, non tamen formaliter, esse intra dioecesim Episcopi, patet ex c. 1. de privileg. in 6. ubi locus exemptus clarè excipitur à jurisdictione Episcopi. Hinc si Episcopus statuto generali sub excommunicatione lusum aleæ interdicit clericis, ludens in loco exempto non incurrit excommunicationem ex n. 1675. quia non delinquit intra dioecesim formaliter; his præmissis: communis responsio est, exemptos, quæ tales, non posse ab illo censuris affici, à cujus jurisdictione exempti sunt; deducitur ex dictis n. 1663. quia non sunt illius subditi, si sunt exempti. Ex hoc etiam deducitur, quòd statutum Episcopi, ne quis ingrediatur monasteria monialium, vel cum illis loquatur, non obliget ingredientes, vel loquentes ibi, si monasterium sit exemptum; quia tunc sunt formaliter extra territorium Episcopi. Aliud dicendum putat Gibalinus discq. 4. q. 2. n. 5. si statutum sub censura interdicit *talem accessum*, quia via ad locum exemptum non eximitur: potest tamen fortasse non immeritò dici ex c. *Licet*, de privileg. in 6. si personis illis exemptis concessa sit licentia loquendi cum illis, licere his accessum, ex dicto capitulo, ubi dicitur, quòd quando uni conceditur exemptio, seu privilegium per ordinem ad actionem, quæ sine altero non fit, aut fieri vel non potest, vel non solet; exemptionem, vel privilegium extendi etiam ad focium.

1681 Ex dictis infertur 1. exemptos à jurisdictione Episcopi, nec per sententiam generalem, nec specialem ab illo censuris ligari posse; ita Rodriquez, tom. 2. qq. regular. q. 59. a. 5. allegans diploma Martini V. Clement. IV. Eugen. IV. Sixti IV. qui variis religiosis ordinibus hoc privilegium concesserunt, ita, ut ejusmodi censuræ ab Episcopis contra illos latæ nullæ omnino sint, & invalidæ. Et hoc extenditur etiam ad Legatos à latere per privilegium à Sixto IV. concessum Carmelitis. Excipe, nisi tales Legati à Sede Apostolica habeant specialem autoritatem contra dictum privilegium; sed eo casu debet Legatus nominatim eum exprimerè, quem censu-

râ ligare vult; nec sufficit, ut in sententia dicatur generaliter, *ut perinde valeat, ac si essent expressi nominatim*, nisi & huic favori per facultates illis legatis concessas speciatim derogetur; ita Rodriquez ex constitutione Martini V. ibid. relata, quibus positus:

Quæres 1. an Regulares exempti ab Episcopis, indirectè saltem excommunicari possint? Casus esset, si directè excommunicarent eos, qui ipsis deserviunt, præsertim intuitu illorum, quibus serviunt. Responsio est negativa ex c. *quanto*, de privileg. ubi Honorius III. Archiep. & Episcopi, in quorum dioecesi Monasteria, & Prioratus Cluniacensi Monasterio subiecta consistunt, ad eorum Regularium querelam sic scripsit: Sanè dilecti filii Abbas & Conventus Cluniacen. gravem nobis querimoniam obrulerunt, quòd quidam vestrum, & vestrorum officiales, *cum in eos, & sui ordinis monachos non possint excommunicationis, & interdicti proferre sententias, eo quòd super hoc Apostolica Sedis privilegia sunt muniti, in eos, qui molunt in molendinis, vel coquant in furnis eorum, quicquid vendenda, seu emendo, aut aliàs eis communicant, sententias præferunt memoratas: & sic Apostolicorum privilegiorum non vim & potestatem, sed sola verba servantes, dicti ordinis Monachos quodam modo excommunicant, dum eis alios communicare non sinunt.* Ex quo illud etiam evenit inconveniens, ut ipsi monachi, quantum ad hoc judicentur iudicio Judæorum, & qui eis communicant in prædictis, majorem excommunicationem incurrant, quam etiam excommunicatis communicando fuerint incurfuri. Nolentis igitur hæc crebris ad nos clamoribus jam perlata, ulterius sub dissimulatione transire, Vobis universis, & singulis mandamus, *quatenus hujusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cætero non feratis*; quia si super hoc ad nos denuo clamor ascenderit, non poterimus conniventibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum severitate debitâ castigemus.

Hinc quando ipsorum privilegia satis nota, & publicata sunt, aut innotescere potuerunt, si afficerentur ejusmodi censurâ invalidâ, nec indigerent absolutione, nec tenerentur etiam in foro externo abstinere à divinis. Aliud est de particularibus personis singillatim privilegiatis. Illæ enim, licet injustè, imò & invalidè excommuni-



cata, debent se pro talibus gerere in foro externo, donec privilegium sufficienter innotescat, & constat de nullitate sententiae. Promulgatio autem privilegii, aut bullarum, quibus id conceditur, non est necessaria ad ejus valorem, sed, ut obliget Episcopos aut alios, quorum interest, ad summum requiritur, ut eisdem authentice, Ordine juridico exhibeatur; ita Bruno Chassaing Ordin. min. recollect. Greg. XV. & Urbani VIII. in Ecclesia Lateranensi Pœnitentiarius in privileg. regular. tit. 1. c. 2. propos. 3. & constat ex c. cum persona, de privil. in 6. de quo V. dicta cit. 33.

1684 Quæres 2. an censura sit valida, quam fert Episcopus contra Regulares exemptos per privilegium, quod ignorat Episcopus? R. si privilegium sit vulgo notum, non valere: si secus, valere. Ratio primi est; quia tunc censura ferretur contra non subditum; secundi, quia, ut privilegium valeat quoad nullitatem sententiae contra privilegiatum, exhiberi debet Ordinario, c. Cum persona, de privileg. in 6. juxta dict. tit. 33. Hinc privilegium, si ante sententiam exhibeatur Judici, valet, ex c. cit. excipe, nisi privilegio sit annexa clausula, irritans omnia, quae contra privilegii tenorem fieri contingeret. Tunc enim hæc irritatio afficit Judicem etiam ignorantem; ita Covar. c. 9. qq. practic. n. 7. Sylvester V. Excommunicatio, n. 9. Si tamen Episcopus certo sciret, aliquem exemptum incidisse in aliquam excommunicationem juris communis, vel Papalem, complures apud Gibalin. cit. n. 5. in fine, volunt, quod eum posset denunciare; credentes, quod non sint exempti ab hoc actu. Sed si denunciare ex officio sit actus jurisdictionis, ut non pauci volunt, contrarium verius est, seclusa speciali commissione, vel delegatione per Superiorem.

1685 Quæres 3. an, quando uni conceditur privilegium, ut excommunicari non possit, in quo nulla mentio sit Episcopi, tunc intelligatur, quod nec possit ab Episcopo? R. affirmative, si is, cui conceditur tale privilegium, sit Rex, Regina, Ordo aliquis, aut locus religiosus; si verò alius, solum intelligitur, quod non possit à Judicibus Episcopo minoribus; ita de privilegio, quod privato conceditur, Clemens IV. c. Ne aliqui, de privil. in 6. ubi Pontifex sic loquitur: Ne aliqui de indultis Apostolicis confidentes, alios confidentius in suo jure mole-

Tom. V.

sent, & Ordinariorum jurisdictionem condemnent pariter & eludant; Omnes indulgentias & privilegia quibuscunque singularibus personis Ecclesiasticis vel secularibus, cujuscunque sint præminentia, dignitatis, conditionis, aut status, quod interdici à quocunque, vel excommunicari non possint, nec terra, vel Ecclesia ipsorum, Ecclesiastico interdicto supponi, sub quacunque verborum forma concessa, illis, per quae Regibus & Reginis eorumque filiis, nec non & religiosis quibuscunque non personarum tantum, sed Ordinum privilegiatorum vel locorum ratione in hoc immunitas hujusmodi conceditur, dumtaxat exceptis, de fratrum nostrorum consilio ad Ordinariorum sententias, & processus edicto perpetuo prohibemus extendi. Excipe, nisi Religiosi maneat in Monasteriis, aut Prioratibus Ordinario subjectis. Tunc enim ab Ordinario illius loci, quam diu ibi manent, excommunicari poterunt, ex c. 1. §. in eos autem, de privil. in 6. intellige, si eò veniant, ut vivant tanquam proprii religiosi illius loci, non autem præcisè ut hospites; colligitur ex eodem c.

His annotandum est, quod docet Por. 1686 tell. quæst. moral. p. 1. casu 9. à n. 1. dicens: privilegio, quod habent Mendicantes, ut non possint excommunicari ab Episcopis, nisi ad id specialem facultatem habuerint, Concilium Trid. solum in duobus, vel tribus casibus derogasse. 1. ut quando Novitii masculi, vel foeminae exeunt à novitiatu ad mundum, iisdem restituant omnia suppellectilia, quae attulerant. 2. Ut possint per censuras cogere Moniales ad servandam clausuram. 3. Ut possint per censuras cogere Regulares, ne celebrent Missas in Orationis privatis; Sess. 25. de Regularib. c. 16. & ibid. c. 5. Sess. 22. in Decr. de observ. in celebrat. Missarum. Hinc Sanchez l. 7. matr. D. 33. n. 23. apud Portell. cit. docet, Episcopum non posse procedere per censuras contra Superiores Novitiorum, vel ipsos Novitios non parentes, cum in causa matrimoniali citantur, quod matrimonium contraxerint: Oppositum tamen docet Farinacius lib. declar. Cardinal. ad Sess. 25. c. 11. de regular. prope finem, dicens, hoc à Cardinalibus declaratum. Idem refert, & tenet Marzilla in lib. ejusdem tit. §. Si monialis, ad c. 17. Sed circa hoc V. n. 1681. in supra dictis.

Quæres 4. an censura, generaliter la-

ta, afficiant Episcopos? R. 1. Episcopos

Bbb 2

gene.



generali sententiâ suspensionis, & interdicti non comprehendi, nisi eorum expressa fiat mentio, videri posse colligi ex c. *quia periculum*, 4. de sent. excom. in 6. ibi: *quia periculum est Episcopis, & eorum Superioribus propter executionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto: Nos deliberatione provida duximus statuendum, ut Episcopi & alii Superiores Prælati nullius constitutionis occasione, sententia, sive mandati prædictam incurrant sententiam ullatenus ipso jure: nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.* Quod verum esse videtur, etiam de Episcopo electo, & confirmato, licet nondum consecrato, Suarez D. 28. l. 2. n. 6. quem citat, & sequitur Layman. Nam & alia privilegia extenduntur ad Episcopos confirmatos, licet nondum consecratos, ut de eligendo Confessore, c. *ult.* de poenit. & remiss. de usu alterius portatilis, c. *ult.* de privil. in 6. id, quod etiam dicendum volunt de Cardinalibus, Henriquez & Layman, quos citat, & sequitur Gibal. dist. 4. q. 3. n. 2. quia privilegia Episcopis concessa propter eorum dignitatem extenduntur etiam ad Cardinales, Layman l. 1. tr. 5. p. 3. c. 2. n. 2. Sed illud privilegium est Episcopis concessum ob eorum dignitatem, non vero præcisè ob necessitatem exequendi suum munus, ut contendit Layman, colligi exc. *si compromissarius*, de elect. in 6. ergo.

1688 Si opponas: ratio privilegii, Episcopis concessi, fuit *necessitas exercendi officium Episcopale*, quod impediretur illis censuris; sed hæc necessitas non est respectu Episcopi non consecrati; ergo ad eum non extendit se hoc privilegium: Gibalinus, & Layman negant hanc fuisse unicam rationem privilegii, & volunt etiam fuisse dignitatem Episcopalem. Verum ratio allata in textu alia non est, quàm *necessitas Pontificalis officii frequenter incumbentis*, sub qua non venit actus jurisdictionis, sed ordinis; potestate autem ordinis Episcopalis caret Episcopus non consecratus. Unde licet Episcopi consecrati non veniant sub sententia generali suspensionis, & interdicti; probabilius tamen est Episcopos comprehendi per generalem sententiam *excommunicationis* latæ ab eorum Superiore; ita Suarez D. 5. l. 1. n. 30. quem citat, & sequitur Gibal. cit. n. 4. in fine. Quia nullo jure eximuntur à tali sententia, ut patet,

si Clericum percuterent. Deinde capitulata, *si periculum*, solum eximit à sententia generali *suspensionis, & interdicti*; certe si etiam voluisset eximere ab excommunicatione, fecisset utique mentionem.

Dices: Episcopi non minus impediuntur ab exercitio sui officii per excommunicationem, quam per alias censuras; ergo ratio, quæ fuit illos eximendi ab aliis; etiam erit eximendi eosdem ab hac. Et in privilegiis non tam attendi paritatem causæ, quàm voluntatem concedentis; cum ergo expressa sit voluntas privilegii quoad exemptionem ab *interdicto, & suspensione, non ab excommunicatione*, bene concedimus de illis, non autem de ista. Ex quo clarè apparet, ex identitate, vel majoritate rationis, licet ea relucet in non expresso, propter quam aliquid disponitur in casu expresso, non rectè in poenalibus idem concludi de non expresso.

Quæres 5. an censura ligent etiam totam communitatem? R. 1. integram Universitatem, Collegium, & communitatem posse interdicti, & suspendi; ita D. Thom. Navar. Henriq. Filliuc. & Bonacina, quos citat, & sequitur Leander tr. 1. de cens. D. 3. q. 23. Ratio est, quia hoc nullo jure vetitum est, nec requirit contumaciam personalem, sed sufficit contumacia in capite; Sic habetur in c. *quia saepe*, 140. de elect. in 6. ubi dicitur: *quia saepe contingit, quod Cathedralibus, & regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus, Capitula, Conventus, Collegia, & singulares earundem persone bona à Prælati ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenerint, quæ in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari: occupant, inter se dividunt, surripiunt, dilapidant, dissipant, & consumunt in earum grave dispendium, & injuriam, Nos ipsorum ausus reprimere, ac Ecclesiarum indemnitatibus præcavere volentes: decernimus, ut ii, qui præmissa de cætero præsumserint, eoispo sine, & tamdiu mancant ab officio & beneficiis quibuscunque suspensi, donec plene restituerint, quidquid de bonis perceperint supradictis. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, aut contrariis consuetudinibus, constitutionibus, vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut aliâ quacunque firmitate vallatis: quæ omnia, quoad hæc, auctoritate Apostolicâ revocamus, cassamus* & r.



*Et irritatus: ac nullus deinceps volumus esse firmitatis.* Ubi clarè sermo est de suspensione Communitatum, Capitulorum, Conventuum, & Collegiorum; & c. *non est vobis* 11. de sponsalibus, ubi quæcunque Provincia, in qua fuerint uxores filiorum Regis Angliæ, ob hoc filiis abreptæ, interdicto supponitur, donec ibi fuerint.

1691 *Re. 2.* non tamen posse excommunicari, dicendo: excommunico talem communitatem, vel collegium; sic expressè determinatur c. *Romana*, 5. de sent. excom. in 6. ibi: *In universitatem, vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nunquam contingeret innocios huiusmodi sententia irretiri: sed in illos duntaxat, de collegio vel universitate, quos culpabiles esse constituerit, promulgentur.* Cujus ratio, ut dicitur, est, tum quia excommunicatio supponit delictum personale; tum quia sæpius aliàs hac poenâ gravissimâ plecterentur innocii personaliter; hinc semper ferri debet in personam determinatam; Communitas enim ut sic non peccat personaliter; ita Suarez D. 5. f. 1. n. 19. & alii complures cum Leandro q. 24. Escobar Theol. moral. tr. 4. Exam. 1. c. 3. Excommunicationem porrò latam in totam communitatem à Prælatò, qui est inferior Papâ, illicitam esse, non tamen invalidam docet Henriq. D. Thom. Navar. & alii apud Leandrum q. 25. quamvis hic ostendat, quòsdam ibidem ineptè citari pro hac opinione; Sed probabilius est, invalidam esse; ita Leander cit. allegans pro se complures, quod verum esse vult, licet talis Prælati cognovisset, omnes personas talis collegii deliquisse; ratio est, quia quoties lex aliquid penitus prohibet fieri circa certum genus personarum, nisi assignet legitimam personam, circa quam fit, & excludat personam, circa quam non fit, toties, his non servatis, irritat actum; sed lex in c. *Romana*, de sent. excom. in 6. penitus prohibet excommunicationem ferri in Universitatem, vel Collegium, nisi fiat in eos, qui culpabiles sunt, & excludantur ii, qui non sunt; ergo irritat actum hæc non servantem; atqui pro loco excommunicationis in totum Collegium sine alia limitatione certæ personæ, hæc non servat; ergo est actus irritus. Ma. prob. 1. quia aliàs non vitaretur periculum animarum, ob quam

rationem c. *Romana* talem sententiam penitus prohibet, 2. ex Sanch. l. 1. de matr. D. 32. n. 6. & l. 6. D. 32. n. 7. apud Portel. p. 1. casuum, casu 13. n. 2. quando in aliquâ lege apponuntur hæc verba: *nullatenus*, vel *omnino*, eo ipso annullant factum in contrarium, licet lex non apponat ullum aliud verbum irritans; sed in dicto c. *Romana* expressè dicitur: *penitus prohibemus*, quod idem est, ac *omnino prohibemus*; ergo irritat factum in contrarium.

Ex quo sequitur, etiam invalidam fore 1692 re sententiam excommunicationis latam in communitatem, esto singuli peccasse nocerentur; quia adhuc foret contra dictam legem annullantem excommunicationem latam in Universitatem, vel Collegium; aliud esset, si diceretur: excommunico omnes illos in hac communitate, qui peccarunt; sic enim jam valeret; ita Vasq. & Hurtado, apud Leandrum q. 26. in fine. Similiter valebit, si singuli de Collegio excommunicentur, cum singuli peccaverunt; sic enim sententia non est una, quæ in omnes fertur, nec tendit formaliter in ipsam communitatem. Nam c. *Romana* solum prohibet eam sententiam, quæ simul omnes de communitate excommunicat per unam sententiam, quæ tendit in communitatem quæ talem. Ex eo autem, quòd Episcopi & Prælati, inferiores Papâ, non possint excommunicare communitatem quæ talem, seu singulos collectivè, non sequitur, quòd nec possit Pontifex, si singuli peccarunt; illis enim hoc solum prohibetur de jure Canonico, in quo potest Pontifex dispensare. Si verò ei non constaret, omnes deliquisse, affirmat Sylvester apud Leandrum q. 30. adhuc fore validam; sed distinguendum est, si limitaret sententiam tantum ad reos, concedo validam; secus, si extenderet indiscriminatim ad omnes; sic enim esto innocii in conscientia non ligarentur, contineret tamen hæc sententia errorem intolerabilem, quòd in foro externo tenerentur pro excommunicatis se habere, qui pro illo necdum prostrati sunt rei; ita Leander cum pluribus.

### ARTICULUS VI.

*An censura afficiant mandantes, vel consulentes?*

**N**ot. censuram posse dupliciter ferri in 1693 mandantem 1. accessorie 2. principaliter;

Bbb 3



paliter; *accessoriè* censura ferri dicitur in mandantes, quando non respicit præcisè consilium vel mandatum talisrei, sed potius ipsam rem, quam, quia non vult evenire, ideo etiam mandatum, vel consilium de illo sub censura vetat: *principaliter* autem, quando etiam directè prohibitio fertur in ipsum mandatum; quo posito, *re. 1.* sub censurâ, quæ fertur contra *facientes*, vel *committentes* aliquod delictum, non comprehendit mandantes, vel consulentes, nisi aliunde exprimat in lege, vel aliquin lex redderetur inutilis; ita Pellizar. in *man. regul. tom. 1. tr. 3. c. 2. n. 20.* Sanchez l. 3. de matr. D. 49. n. 2. Coninch, Avila, Hurrado & alii de omni censurâ generaliter, quos citat & sequitur Castropalaus D. 1. p. 7. n. 21. Gibalinus D. 5. q. 3. contra Sylv. Rosell. & alios apud Leandrum tr. 1. D. 8. q. 14. quia hæ leges, cum odiosæ sint, interpretandæ sunt strictè; sed qui aliquid *ferri* mandat, vel *suadet*, non proprie *facit*, vel *committit*; ergo lex odiosa contra *facientes*, vel *committentes* non comprehendit istos. Hinc *mandans*, & *consulens* in c. *si quis viduam*, dist. 50. ponuntur ut quid distinctum, & diversum ab iis, qui comprehendendi debent sub *facto*; cum expressè distinguat inter homicidium *aut facto*, *aut consilio*, *aut defensione*, commissum. Qui enim committunt *faciendo*, sunt causæ physicæ; qui autem consilio, vel mandato, morales solum, & directivæ. Et ideo etiam quando jus etiam illos comprehendendi vult, eorum in textu meminit; ut patet ex c. *felicitis*, de poenis in 6. & Clement. *Si quis suadente*, cod. tit.

1694 *re. 2.* si censura solum *accessoriè* fertur in mandantes, censuram non incurri, nisi externè secuto effectu, quem lex principaliter vetat, licet mandaveris, vel consulueris; quia censura vitari cupit actum consummatum, quem principaliter respicit; ergo nisi sequatur vi consilii, vel mandati talis actus, non incurritur censura; quia non ponitur actus prout sub censura vetitus; sic Gibal. dist. 5. q. 3. n. 5. Hinc *mandans* homicidium, vetitum sub censura solum *accessoriè* lata in mandantes, non incurrit hanc censuram non secutâ vi mandati morte, licet dederit mandatum. Si autem censura æquè principaliter est lata contra *mandantes*, ac *facientes*, incurritur censura per solum mandatum, esto factum, quod mandat, non sequatur, vel etiam,

antequam sequatur, revocet mandatum, quantum potest; quia tunc verè jam posita est tota actio (scilicet mandatum externum) sub censura principaliter vetita; ita Gibalinus cit. n. 29.

Dices 1. qui mandat delictum, absolute dici potest, quod *moraliter committat*, *re.* cum dist. absolute dici potest, quod *committat*, *moraliter*, & cum addito improprie significationem verbi *committit* simpliciter, C. secus, N. Sufficit quidem ad peccatum, *committere moraliter*; non tamen ad censuram. Hinc quando in c. *mulieres*, de sent. excom. dicitur, eadem excommunicatione ligari *mandantes percussit Clericum*, quâ *ipsi percussentes*, in quos fertur excommunicatio Capituli, *si quis suadente*, 17. q. 4. ratione ibid. datâ, *quis is verè committit*, *cujus auctoritate, & mandato committitur*; quando, inquam, hoc dicitur, *re.* ex solo c. *si quis*, non includi mandantes, sed ex textu claro c. *mulieres*, ubi nominantur *mandantes*. Ad rationem dico, quod *mandans verè delictum committat*, ut verè præceptum violet; non autem *verè percussit*; censura autem est in violantes legem, *verè & proprie percussiendo*, quod non facit *mandans*, licet *verè delinquat*.

Dices 2. *facientem, & mandantem per ipsam poena constringit*, ex c. *nuper* de sent. excom. 2. Is damnatum dat, qui jubet damnatum dari, regulâ: *is damnatum*, de reg. jur. in 6. 3. In lege *nihil interest*, ff. ad Legem Corneliâ, de Sicariis, textus ait, *nihil interesse*, an quis occidat, an causam mortis prabeat? & c. *ita quorundam*, de Judais, excommunicantur deferentes arma prohibita ad Saracenos; quæ lex declaratur c. *significavit*, cod. tit. dicendo, eadem poenâ plecti, *sive in propria persona deferant, sive per nuntios*. Denique in c. *nuper etiam concubina*, excommunicantur communicantes cum excommunicato in crimine criminoso; sed *mandans*, vel *consulens* delictum, cui annexa est excommunicatio, id facit; ergo. *re.* ad c. *nuper* ibi agi de poena secundum similitudinem eadem, non secundum proprietatem; uterque enim delinquit, sed non æquè proprie; & ideo uterque poenâ dignus est, in quo sita est paritas; sed non unâ eademque, cum culpa paritas non sit perfecta; cum *facere & mandare*, spectatâ verborum proprietate, non habeant paritatem perfectam. Ad reg. in *damnatum*



*damnum*. 12. ibi sermonem esse de violatione legis; sive enim mandes factum, sive ipse facias, verè legem violas; quod etiam respondetur ad L. *nihil interest*. Ad c. *ita quorundam* 32. nihil esse contra nos; quia hæc lex per alterum textam extenditur aptè etiam ad alios; quia scilicet aliàs lex redderetur inutilis. Ad postrema duo Capitula 32. idem verum esse de communicatione cum excommunicato vitando; sed de hoc est alia *lex expressa*; ergo ex dictis nihil evincitur.

1697 Ex dictis colliges 1. quando quis *mandat*, vel *consulit* actionem ex se licitam, quæ tamen est inchoatio actionis illicitæ, & sub censura vitæ, etiam extensâ ad mandantes, & consulentes, licet factum malum præter intentionem mandantis, vel consulentis sequatur, non incurri censuram; qui talis mandans non peccavit, per mandatum actionis licitæ. Hinc si parenti Clerici suadeas ex justa causâ moderatam verberationem filii; pater autem præter tuam intentionem effervefcens, occidat filium, non incurris censuram latam contra *suadentes* homicidium; quia hoc non suasisisti, sic Gibalin. cit.

1698 Collig. 2. eum, qui *mandat* fieri delictum, prohibito sub censura solum accessorie lata *in mandantes*, & principaliter *in facientes*, non incurrere censuram, etiam effectu secuto, si prius, quam sequeretur effectus, mandatum revocavit, quantum potuit; ita Gibalin. cit. Diana tr. 1. de excom. resol. 10. Procedit autem hoc 1. quando mandatum mandatario innotuit; tunc enim mandans omnem causam à se positam (scilicet voluntatis suæ intimationem, quæ erat alioquin causâ moralis delicti) extinxit in mandatario, qui tunc solum operatur ex voluntate propria 2. procedit, si revocatio sit tacita, ut si opere contrario ostendas, re illum diligere, quem prius mandasti, ut occideretur.

1699 Idem dicendum existimant aliqui, esto revocatio mandati non pervenerit ad mandatarium; modo mandans fecerit, quantum potuit, ut ad eum perveniret; ita etiam Innoc. III. c. *Mulieres* de sent. excom. relatus à Sylvest. V. *Excommunicatio*, 6. n. 5. & sequitur Hurrad. D. de cens. in eommu. n. 25. n. 68. & ratio est, quia talis tunc non est in actuali contumacia, dum censuram incurrere deberet, quantum est ex se; nec in habituali, cum vo-

luntatem suam retractârit, quantum potuit; ergo ab Ecclesia puniri nequit pœnâ debitâ solum contumacibus.

Si petas, quid dicendum de illis, qui ante consumationem delicti efficaciter dolent de illo, licet impedire nequeant, quominus effectus externus subsequatur? 12. non incurri tunc pœnam, vel censuram, delicto statutam, apertè doceri à Diana cit. resol. 10. Castropal. D. 1. p. 7. n. 15. & aliis; quia posito tali dolore non causatur delictum exterius à mandante cum culpabili contumacia, quam supponit censura, vel actu, vel habitualiter durante. Contrarium tamen tenet Castropalaus de irregularitate, & obligatione restituendi, quæ actu innocentem ob culpam præteritam aspicere possunt.

Ex his occasionaliter in hac materia 1701 deducit Diana cit. qui percussit hominem, & confessus est percussorem, antequam sequeretur mors, non teneri deinde rursus confiteri mortem secutam; nemo enim tenetur bis confiteri peccatum semel ritè confessum, sed in dato casu Titius percussorem in re est semel ritè confessus, & absolutus; quia non habebat casum reservatum aucte mortem secutam; ergo illam non tenetur amplius confiteri. Alter autem effectus est materialiter secutus ex illa causâ, seu actione, quæ jam est delicta per confessionem; ergo: pro hac opinione citatur à Diana etiam Henriquez & Fagundez.

Deducitur 2. qui porrigit alteri *venenum*, & dolet de sua operatione, priusquam sequatur mors alterius; idem est, qui scribit literas v. g. ad *monialem*, sed efficaciter dolet, antequam ad eam perveniat: eum non incurrere censuram latam in homicidas, vel ejusmodi Scriptores, esto factum sequatur. Tunc enim sequitur, quando cessavit omnis contumacia actualis & habitualis; ita Hurrad. in materia excommunic. difficult. 15. n. 76. & novissimè Oliverius Mazuchellus tr. de cas. reserv. D. 2. c. 7. q. 3. diffic. 3. apud Dianam loc. cit. n. 8. contra Averfam apud eundem, n. 9.

Cœterum idem Raphaël Averfa de Sacram. pœnitentiæ, q. 10. s. 2. docet, quoties inter actum, seu causam alicujus effectus sub reservatione prohibiti, & inter ipsum effectum externum intercedit retractatio prioris voluntatis, non incurri reservationem, licet deinde sequatur ipse effectus externus. Hanc autem retractationem ait,



ait, fieri posse, vel per contritionem, vel per confessionem, vel attritionem, aut etiam infusionem gratiæ à DEO sine ullo actu hominis. Quo casu concedit, te posse illud peccatum, quod alias effectu secuto, ni retractasses, antequam eveniret effectus externus, fuisset reservatum, cuilibet tuo confessario ordinario confiteri, modo habeat jurisdictionem in mortalia, licet non in reservata; quia causa effectus externi, ut suppono, secundum se non est reservata; nec etiam secuto effectu, si intercessit retractatio, ita ille; ergo. V. n. 2492.

1704 Deducitur 3. cum non incurere censuram accessorie latam in *consultentes* vel *mandantes*, qui consuluit, vel mandavit aliquid alteri, quod aliunde aequè facturus erat; quia tunc vi sui consilii, vel mandati non influit in actum sub censura prohibitum; habent enim se in data hypothese perinde, ac si non essent; Gibalin. disq. 5. q. 3. n. 21.

1705 Quæres, an is incurrat censuram accessorie latam in mandantes, vel consultentes, qui mandat, vel consulit actionem, quæ per se, & ex natura sua est inchoatio ulterioris actionis sub censura vetitæ, esto hæc sequatur præter intentionem mandantis. &c. Gibalinus disq. 5. q. 3. n. 12. affirmat, si effectus sub censura prohibitus ut plurimum ordinariè sequi solet, esto mandans effectum alterum fieri prohibuisset; Quia tunc effectus cum tali actione sic connexus, ut ex ea ferè ordinariè sequatur, mandanti fuit voluntariè in causa; intellige tamen, nisi, ne talis effectus sequeretur, adhibuerit, quam debuit, diligentiam; quam limitationem observat Bonifacius VIII. c. *fn.* de homicidio.

1706 Ex hoc resolvitur 1. quòd mandans rapti Virginem ad malum usum, quam fortè fugientem occidit mandatarius, non incurrat censuram accessorie latam in mandantes homicidium; quia raptus non est per se connexus cum homicidio 2. quòd confessarius incurrat dictam censuram, si Reo mandet, ut delictum, ex quo illi certò per iudices mors sequitur, manifestet, quod non tenebatur. Hæc enim visio illicita est confessario, & per se connexa cum morte; Secus, si Reus fateri tenebatur; tunc enim Consilium Confessarii non est illicitum; & necessarium ex officio pro salute poenitentis. Hinc si dicas: danti operam rei illicitæ tribuuntur omnia, quæ

ex pravo opere per se præter ejus intentionem subsequuntur, c. *Tua nos*, c. *sicut ex literarum*, c. *suscipimus*, de homicidio; ergo mandanti raptum attribuitur etiam homicidium Virginis à mandatario patratum. R. N. conseq. quia hoc ex raptu non sequitur *per se*.

## ARTICULUS VII.

*An plures censura simul afficere possint eundem?*

R Esp. 1. idem subjectum posse simul incurrere plures censuras diversæ rationis 1. quia potest successivè; ergo etiam simul, quia ad similitudinem non habent oppositionem 2. quia, qui occideret Clericum, ratione percussione incurreret excommunicationem; ratione homicidii, irregularitatem; ita Leander cum communi tr. 1. de cens. D. 3. q. 32. & arg. c. *cum pro causa*, de sent. excom. Barbosa ibid. n. 2. Idem dicendum est de pluribus ejusdem rationis, & homogeneis; ut, si idem delictum prohibeatur sub excommunicatione, vel à tribunalibus, vel ex causis diversis, vel à jure simul, & homine. Hinc potest quis à iudicibus diversis propter unam eandem causam sæpius excommunicari, vel suspendi, si scilicet sæpius, vel respectu utriusque sit contumax; tum quia potest Pontifex, & Ordinarius, idem precipere sub excommunicatione; tum quia occisor Episcopi potest, si Clericus sit, suspendi ab Episcopo originis, beneficii, & domicilii. Similiter potest quis ob idem delictum, in quo diutius est contumax, sæpius ab eodem excommunicari, ut notat Gibalin. disq. 5. q. 4. n. 10. contra Alterium & Filliucium. Sic Nicolaus Papa Engeltrudam uxorem Bosonis intra septennium sæpius excommunicavit, quòd redire nollet ad maritum. Sapienter tamen monet Suarez à Gibalin. cit. melius esse, si iteratò eadem excommunicatio denuntietur.

Quæres 1. an toties incurrat quis censuram, quoties transgreditur eandem legem aliquid sub censura prohibentem; affirmativè respondet Leander q. 36. sed Gibalinus cit. n. 9. & 15. distinguit: Si censura est annexa delicto, quoties est novum delictum, ait, fore novam censuram; si verò sit tantum sententiæ ferendæ, existimat puniri tantum unâ censurâ, sive delicta plura, quæ committuntur, sint continua,



nata, siue interrupta; excipe tamen 1. nisi primum delictum fuisset punitum ante eventum secundi; sic enim nec per fictionem juris possent coalescere in unum per Ordinem ad vindictam. 2. nisi lex specialis contrarium præcipiat. Ratio autem responsionis est ex c. *Cum causa*, de sent. excom. ubi tantum semel excommunicatur, qui Clericum verberavit continuo per claustrum; quod etiam affirmat Leander cit. q. 42. Si quis uno ictu feriat simul tres Clericos, incurrere tantum unam excommunicationem.

1709 Quæres 2. an qui percutit clericum, qui simul est Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos, plures excommunicationes incurrat? R. quod non; quia hi gradus omnes concurrunt per modum unius, quamvis aggravent delictum intra eandem speciem. Si vero quis percutit Clericum, qui simul est Monachus, incurreret duas excommunicationes; quia ratio Monachi non continetur intra statum Clerici, & pro qualibet circumstantia, Clerici scilicet, & Monachi, lata est excommunicatio ipso facto; ita Suarez de cens. D. 3. l. 3. n. 15. quem citat, & sequitur Gibalin. n. 33.

1710 Dices: si quis posset simul affici duabus censuris homogeneis, deberet per secundam magis privari iisdem bonis spiritualibus, quod fieri non potest, cum privatio non suscipiat magis, & minus 2. duæ censuræ homogeneæ sunt duæ privationes eiusdem numero formæ, sed hæ nequeunt simul esse in eodem subiecto; ergo nec illæ, 3. qui violat duplex præceptum, sub eodem motivo latum, non incurrit duplicem culpam; ergo nec duplicem censuram. R. N. ant. sufficit enim, quod per duplicem censuram novo titulo obligetur ad abstinendum à talium bonorum usu. R. ad 2. censuras non esse privationes formales, sed causales, quæ bene possunt plures simul esse in eodem subiecto. Ad 3. N. consequ. quia ad duplicem censuram sufficit duplex contumacia, 2. quia potest quis uno actu contrahere duplicem obligationem; censura autem est obligatio certis quibusdam bonis abstinendi; ergo.

### ARTICULUS VIII.

De forma servanda, priusquam feratur censura.

1711 P Otissima quæstio est hic de monitionibus præmittendis à Iudice, priusquam censuram ferat.

quam censuram ferat; an scilicet hoc ita necessarium sit, ut sine illis, aut agat illicite, aut invalidè? pro quo supponendum 1. monitionem, & comminationem à nonnullis distingui; quia *comminatio* præcedit admissionem criminis per modum cautelæ poenam comminantis transgressuro legem; *monitio* autem sequitur factum, ut Reus se emendet, vel ut Iudici suam innocentiam probeat, & objecta crimina diluat; quos duos fontes monitionis observat Innocentius Papa in c. *Proposuit*, de concess. præbend. potest autem monitio fieri *judicialiter*, quæ fit per modum citationis, & viâ juris; vel *extrajudicialiter*, scilicet non servato juris ordine, tamen nomine & autoritate habentis jurisdictionem ferendi censuram. Supponendum 2. monitionem aliam esse *canonicam*, quam alii vocant *competentem*, aliam *non canonicam*. Hæc est præceptum juris, vel hominis generaliter, aut etiam in particulari, aliquid prohibens sub censura latæ sententiæ: illa verò est monitio, quæ quis per Superioris auctoritatem admonetur modo à Canonibus præscripto, ut à delicto desistat, vel coram Iudice impostum diluat.

§. 1.

De monitione, censura præmittenda.

1712 Quæstio est, quæ ad monitionem censuræ præmittendam à sacris Canonibus præscribantur, ut dicatur, & sit *Canonica*? ante responsionem nota ex dicendis, censuram ferri non posse, nisi in hominem *contumacem Ecclesiæ*. Unde, ut hæc in subditis reprimatur, præmitti solet admonitio, ut notat Leander tr. 1. de Cens. D. 5. q. 6. qui *contumaciam* definit, esse inobedientiam, quæ subditus ex protervo, aut obfirmato animo respuit, Iudici, vel Superiori præcipienti parere, vel se sistere. Diana tr. 1. de excom. resol. 8. triplicem contumaciam affert 1. quando subditus ab Ecclesiastico Iudice vocatus sub poena excommunicationis comparere renuit. 2. Quando quidem comparet, sed ante sententiam, vel licentiam Iudicis discedit. 3. Quando quidem & comparet & perseverat usque ad sententiam Iudicis, tamen postea, latæ sententiæ parere respuit. Quarta species posset addi, cum quis *sciens* aliquid esse præceptum, vel vetitum sub censura, nihilominus contra legem, vel præceptum agit. V. quæ diximus de contumacia.

Ccc

ma.



maacia, supr. à n. 1606. ubi diximus, contumaciam consistere in non faciendo voluntariè, quod facere quis scit se debere; quo posito:

1713 *¶* Ad factam questionem, ut monitio dicatur *Canonica*, præscribi sequentia.  
 1. Ut sit trina vel formalitèr (scilicet per intervalla dierum aliquot) vel saltem virtualiter, quatenus in necessitate, vel cum res postulat, fiat realiter una pro tribus; ut constat ex c. *Constitutionem*, 9. h. t. in 6. ubi Gregorius X. sic loquitur: *Constitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ quarti Prædecessoris nostri, quæ prohibet, participantes excommunicatis ea participatione, quæ solam minorem excommunicationem inducit (monitione Canonica non præmissa) majori excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter excommunicationis sententiam non tenere: ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum declarantes decernimus, ita demum esse monitionem Canonice in hoc casu, si alius ritè servatis, eos, qui moneantur, exprimatis nominatim. Statuimus quoque ut inter monitiones, quas (ut Canonice promulgetur excommunicationis sententia) statuunt jura præmitti: Judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla: Nisi factè necessitas aliter ea suaserit moderanda.*

1714 Ex hoc textu deducitur ulterius, ad monitionem, *quæ sit canonica*, requiri, ut, qui monetur, exprimat *nominatim*, vel exprimendo ejus nomen, qui moneatur; vel propriis illum characteribus describendo. Tertio, ut is, qui censurandus est, moneatur personaliter, saltem si potest; Secus enim, sufficit, si fiat ad domum illius, vel quando Reus se per dolum abscondit; vel quando jam semel facta est personalis admonitio; vel quando citatio facta ad domum, innotuit delinquenti. Sic Escobar tr. 4. Theol. moral. Examin. 1. c. 5. Quarto ut ea monitio sit comminatoria censure, ut vult Gibalin. disq. 6. q. 2. n. 9. quamvis id merito neget Suarez D. 3. l. 11. n. 7. cum hoc nullo jure fundet; & sufficiat monere de obligatione legis. Quinto ut fiat coram idoneis testibus, per quos probari possit facta monitio, sin id requirat necessitas c. *Sacro* 48. de sent. excom. ibi: *Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excom-*

*municationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis presentibus idoneis, per quas, (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat.*

Præter hæc dicendum videtur 1. hanc monitionem, *quæ fiat nominatim*, intelligendam, cum censura infligitur à Judice, non autem à lege, ac jure, ipso facto. Nam in tali casu, cum incurri possit, etiam ignorante Judice, nominatim exprimi censurandus non potest, quod videtur procedere in omni censura ipso jure generaliter lata 2. ad nullius excommunicationem absque manifesta, & rationabili causa Judicem procedere non debere, prout expressè habetur in dicto c. *Sacro* 3. & cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis; disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: Judicem Ecclesiasticum cautè procedere debere; ut in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit, & medentis; Sic Innocentius IV. c. *Cum medicinalis*, 1. h. t. in 6. igitur non repentinò motu, odio personæ, &c.

Quæstio nunc est, an ad valorem censure prærequiratur monitio? *¶* R. 1. ante omnem omnino sententiam censure necessariò præquiri aliquam admonitionem, ita, ut alioquin censura sit invalida. Ratio est, quia censura essentialiter supponit delictum contra poenale præceptum Ecclesiæ scienter admissum; ergo censura nulla est, sine aliqua prævia admonitione; antequam eo colligatur, quia secus laboraret ignorantia juris; cujus ignorantia iusta excusat à culpa; ergo notum illi debet esse jus illud poenale; quæ notitia idem est, ac quædam monitio; ne illi se per inobedientiam opponat, & nihilominus scienter illi contraveniat. Conseq. constat, quia ipsum poenale præceptum cognitum sufficienter monet scientem, ne in tale præceptum delinquat; & hæc monitio ipsius præcepti per sui cognitionem intimata subit vicem monitionis ad censuram essentialiter præsuppositæ; non autem ea, quæ subsequitur contumaciam, & fit, ut male factum emendet; quæ est *monitio specialis*, sicut *illa generalis*; ergo si hanc omnis censura supponit essentialiter, dari nequit sine illa, nisi invalida, seu nulla; ita Gibalinus cit. disq. 6. q. 2. n. 1. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 4. Castropal. D. 1. p. 5. & alii, contra Cajetan. Almainum, & novillæ.



visimè Candidum apud Leandrum loc. cit. q. 8. Hinc malè adducunt, quòd à Gregorio quidam auctor famosi libelli, nisi se ipsum prodat, vel Judici sistat, sine monitione excommunicatus sit, c. *quidam* 5. q. 1. quia solum interdixit illi communionem; quæ prohibitio potest esse poena, sed non censura. Ex hoc constat, malè allegari S. Paulum 1. ad Cor. 5. quasi incestuosum illum, in propudioso suo facinore contumacem, ut notat Gibal. disp. 2. q. 2. n. 6. non præmissà hac monitione comminatorià excommunicarit; si enim Paulus excommunicationem ferre voluit, utique ad illam necessaria adhibuit.

1717 *Re. 2.* ad censuram *lata sententia* non prærequiri necessariò monitionem Canonicam, sed non Canonicam, seu comminatoriam sufficere, ita Innocent. c. *Sacro*, de sent. excom. tum quia ipsum præceptum habet sufficientem vim monitionis; tum quia constat ex c. *Reprehensibilis*, de appell. ubi Alexander M. decernit, ut nec Prælati sententiam censuræ proferant in Subditos, non præmissà monitione Canonica, nisi fortè talis sit culpa, *quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis poenam inducat.*

1718 *Re. 3.* ad essentiam *censuræ ferendæ* non prærequi monitionem Canonicam, nisi in aliquibus peculiaribus casibus; patet 1. ex c. *Romana*, de sent. excom. in 6. ubi habetur censuras à iudicibus *sine canonica monitione* latis, injustas esse, non verò dicit esse nullas. Deinde c. *Sacro*, de sent. excom. dicitur, ut excommunicatus *sine monitione Canonica* (trinà scilicet, aut unà pro trina) *absolvatur*, sed absolutio supponit *valorem censuræ*, ergo; ita Sanch. de matr. tr. 1. l. 2. D. 24. n. 28. apud Dianam, cit. n. 6. quibus accedit Gibalinus disp. 6. q. 2. n. 12. & probabile censet Castropalaus D. 1. p. 5. n. 6. Bonacina D. 1. q. 1. p. 9. n. 3. &c. Ex hoc etiam patet ad rationes in oppositum. Nam negandum est, quòd tali casu ferretur censura contra peccatum merè præteritum; non enim fertur, nisi contra peccatum præteritum *non emendatum*, & per tractum successivum adhuc durans, ex c. *Reprehensibilis*, de appellationibus, ubi dicitur, ut etiam Prælati præmittant admonitionem, nisi delictum habeat annexam censuram. Deinde solum sequitur, facturos *illicite*, si omitant; non autem *invalide*,

Tom. V.

Hinc etiam breviter nota, quo sensu 1719 verum sit, *quòd censura per sententiam infligi non possit pro peccatis merè præteritis*; hoc enim intelligitur de illis, quæ nec habent tractum aliquem successivum, seu permanentem aliquam contumaciam, aut obligationem satisfaciendi, vel quidpiam aliud, ratione cuius censetur adhuc virtualiter perseverare, aut non omnino præteruisse; nec prius fuerunt verita sub comminatione censuræ alicujus incurrendæ; ita Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 3. Suarez D. 4. hicf. 5. n. 6. Dantur tamen casus aliqui, in quibus censura sine prævia monitione Canonica non sit valida ex speciali constitutione juris. Primus est, si Judex pronuntiet excommunicationem contra communicantes cum excommunicatis à se: sic definitum est c. *constitutionem*, 9. & c. *statutum*, 13. de sent. excom. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: Statutum Gregorii Papæ X. factum ad declarationem constitutionis Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis eà participatione, quæ solum minorem inducit, *non excommunicatione ligari monitione canonica non præmissa*: in suspensionis, & interdicti sententiis (quæ pro hujusmodi participatione plerumque ab Ordinariis vel delegatis Iudicibus promulgantur) præcipimus inviolabiliter observari. *Docernentes easdem sententias non tenere aliter promulgatas.* Secundus, si Judex delegatus in mandatis expressè habuisset, ut censuram non ferat, nisi præmissà monitione Canonica; sic enim ferretur contra formam mandati, c. *cum dilecti*, de rescriptis c. *Pisanis*, de rescriptis. spoliat. c. *Romana*, de sent. excom. in 6. §. *sed nec.* 3. in Clement. *ult.* de statu Monachorum; ubi excommunicantur ipso facto, qui visitationes impedire præsumpserint, nisi moniti respiciant.

Ex hoc facile resolvitur altera quæstio, 1720 an, ut licitè feratur censura, præmitti debeat monitio canonica? *Re. enim*, ut censura licitè, ac justè feratur ab homine, trinam realiter præmitti debere monitionem Canonicam; patet ex c. *Reprehensibilis*, de quo egi n. 1718. deinde c. *constitutionem*, de sent. excom. in 6. ibi: *Statuimus quoque, inquit Gregorius X. ut inter monitiones, quas, ut canonicè promulgetur excommunicationis sententia, statuimus jura præmitti, iudicès (sive utantur monitionibus tribus, sive unà pro omnibus) observens aliquorum*

ccc 2

die



dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda, ubi vides à Gregorio prærequiri trinam admonitionem, vel formaliter, vel virtualiter; ex quibus postremis verbis colliges, quandoque sufficere unam pro tribus, modò concedantur aliquorum dierum competentia intervalla; hinc in cit. c. *constitutionem*, hæc formula monendi probatur: *moneo te semel pro tribus vicibus, ut intra sex dies satisfacias; concedo tibi duos dies pro singulis monitionibus.* Ubi not. cum hic non requiratur ulla specialis causa, utendi unâ monitione pro tribus; hunc modum, etiam cum causa non urgêr, & licitum esse, & fortassis usu jam magis receptum; modò tempus aliquod intercedat, ut perinde se habeat, ac si trina monitio distincta fieret, nisi causæ necessitas aliud requirat, patet ex mente Greg. X. cit.

## §. 2.

*De pœna Judicis omittentis monitionem.*

1721 **R**esp. Judicem, qui omittit præmittere monitionem Canonicam, ubi ea requiritur, trinam, vel saltem unam pro trina; primò peccare mortaliter, & incurrere suspensionem ab ingressu templi per unum mensem. Constat ex c. *Sacro*, de sent. excom. 47. de quo V. n. 1714. Ratio primæ partis est; quia violat jus in re gravi; & Reo non servat privilegium à jure concessum; 2. qui punitur pœnâ gravi: ratio secundæ partis est expressè in c. *Medicinalis*, de sent. excom. in 6. Excipe, nisi contrarium faciat in casibus in jure permissis.

1722 Ex hoc autem oritur quæstio, an sit aliquis casus, in quo Judici à jure permittatur ad infligendam censuram progredi, nullâ Canonicâ monitione præmissâ? Primus aliquibus videtur, si delictum sit publicum, & notorium. In hoc casu omitti posse monitionem, docet Anton. de Butrio, Felinus, & Abbas; quia in notoriis monitio non requiritur; sed probabilius negat Suarez, Covar. Henrîq. & alii, quia per hoc, quòd sit notorium, crimen *fuisse admissum*, non est notorium, *adhuc in eo esse contumacem*, quod tamen requiritur ad infligendam censuram. Secundus est, quando non tantum est notorium, admissum esse delictum, sed etiam eum in illo esse contumacem; ita Covar. Sayrus, & Ugolinus: Alii autem negant cum Sua-

rez, Bauhus &c. quia nondum sufficienter se ostendit, *externè contumacem benignè Matri Ecclesiæ.* Utraque mihi sententia videtur probabilis; quamvis probabilior posterior ex benignitate Ecclesiæ nolit aliter contra Reum agere, nisi etiam monitus resistat.

Videri tamen posset, dari plures casus, quibus Superior Ecclesiasticus ad ferendam censuram procedere possit, non præcedente monitione speciali, sed solâ generali, de qua diximus n. 1716. Hinc quæres 1. an saltem in præfato casu præmitti possit trina monitio quoad duas ultimas, si expressè dicat, *se nolle parère monitionibus?* Pro negativa refertur; mihi tamen videtur adhuc esse ex benignitate Matris Ecclesiæ, ut trina adhibeatur, nisi aliud suadeat necessitas; & ideo in casu, quo Superior Ecclesiasticus à Judice Laico raparetur ad mortem v. g. furcam, posse in eum vel ab ipso sic raptato, vel alio censuram ferri, omisâ monitione Canonica, & speciali, affirmat Sayrus; quia si monitio expectanda foret, interim delusa maneret potestas Ecclesiastica, quia post illud interea occideret. Huic etiam assentiuntur alii; modò præcedat comminatio censuræ, seu monitio generalis; hæc etiam requiritur ad valorem.

Quæres 2. an quando lex aliquid præcipit sub censura ferenda, possit Judex in Reum convictum sine alia monitione censuram ferre? Affirmant Abbas, Avila, & alii; sed rectius negatur; quia id expressè deciditur in c. *Reprehensibilis*, de appellationibus, ubi constat ad omnem censuram prius, quàm infligatur ab homine, prærequiri monitionem specialem, adeoque cum non incurritur ipso facto. Idem videtur dicendum 1. quando quis excommunicatus ipso facto, de novo excommunicari deberet ab homine; hæc enim excommunicatio fundatur in contumacia speciali respectu hominis, 2. si prælatus excommunicationem ferret ad defensionem proprii juris v. g. in spoliatione Ecclesiæ. Non enim est ratio agendi contra generalem constitutionem in c. *Sacro*, de sent. excom. præcipiente Canonicam monitionem præmitti. Et hoc etiam extenditur ad Prælatos regularium, quantum est *vi juris*, nisi privilegium habeant. Quamvis autem Minoritis concessum sit à Leone X. ut possint censuram ferre sine scriptis; nullibi tamen



men legitur, quod sine Canonica monitione. V. Rodriq. tom. 2. qq. reg. q. 59. a. 3.

1725 Docent aliqui, ab universali constitutione de Canonica monitione præmittenda, excipi Episcopum, cum procedit non per modum Judicis, sed per modum propriæ defensionis. Verum c. *Sacro*, non dicit *judex*, sed *omnis*, ac proinde nullus Pontifice inferior eximitur, ita Gibal. disq. 6. q. 2. n. 22. contra Ugolinum apud Dianam resol. 4. n. 5. qui cum P. Suarez & Vasquez accedit nobis. Aliud est de Pontifice, si absolute vellet, quamvis æquitas, & benignitas aliud suadeat, nisi ratio alia in contrarium occurrat.

1726 Præterea not. hic, suspensionem, & interdictum, quandoque ferri per modum *purae pœnæ*, & punitionis, non *cenſuræ*, ut dicemus in seqq. Ex quo deduces, si qui sint textus juris, qui videntur negare monitionem his præmittendam, eos non loqui de illis, ut *cenſura sunt*; hæ enim supponunt contumaciam etiam positâ monitione, si ferenda sint, ut patet ex c. *Reprehensibilis*, c. *Sacro &c.* idque non ex natura *cenſuræ*, sed solum ex speciali constitutione juris. 2. Cum dicimus, ad *cenſuram* prærequiri monitionem & contumaciam, debere intelligi cum distinctione. Nam aliud est de monitione *generali*, aliud de *speciali*; aliud de contumacia contra illam, aliud contra istam. Igitur antecedenter ad *cenſuram* latæ sententiæ sufficit monitio legalis, seu generalis, de qua n. 1716. & contumacia contra illam, ut exposuimus n. 1606. & 1712. nempe istam in non faciendâ voluntariè, quod facere quis scit se debere, ut diximus; & hæc monitio generalis atque contumacia essentialiter præsupponitur ad actum malum, quo incurritur *cenſura* latæ sententiæ; si autem sit sententiæ ferendæ, præcedere debet monitio specialis, & contumacia contra illam; nimirum inobedientia continuata etiam post trianam, vel formaliter, vel æquivalenter monitionem, ut Reus desistat à culpa, non obstante monitione legati, commissâ, quin ad licitè ferendam à Judice sufficiat sola legalis monitio, & contumacia adversus illam.

1727 Quares 3. an privatus cedere possit iuri, quod habet, ut sine monitione Canonica ab homine non innodetur *cenſurâ*? R. quod non; quia decretum juris, de præ-

mittenda hac monitione, non est tam in favorem singulorum distributivè, quam ob bonum publicum, ne tam crebræ injustitiæ committantur, ut constat ex c. *Contingit* 2. de sent. excom. ac proinde non est in potestate hominis privati renuntiare huic iuri; quia *publico juri, privatorum pactis, nunquam derogatur*, c. *Si diligenti*, de foro compet. & L. *Jus publicum*, ff. de pactis. Cum autem contingat quandoque *cenſuras* infligi ab homine propter præjudicium alicujus tertii, not. 1. in monitione Canonica etiam observandum esse, ut admonitio hæc non fiat, nisi ad instantiam partis, in cujus commodum *cenſura* ferenda est. Nam 1. citatio debet fieri ad instantiam partis, admonitio autem habet vim citationis; 2. Quia Judex in bono privati non debet suam auctoritatem interponere proprio motu, ut latè probat Abbas: secus, si *cenſura* fiat ob bonum publicum; tunc enim sicut Judex potest ex officio procedere, ita etiam potest ex officio citare, & admonere; ita idem Abbas c. *Veritatis*, de dolo & contumac. n. 5. & sumitur ex c. *Reprehensibilibus*, de sent. excom. in 6.

Not. 2. Quando, cum quis fuit malè absolutus à *cenſura*, tractatur de reducendo illo ad eandem *cenſuram*, quâ ligatus fuit, sufficere, quod ad domum citetur, vel moneatur. Idem est, si *cenſuræ* ferantur contra Reos incognitos; sufficit enim monitiones fieri in Ecclesia, vel foro, aut loco publico; quia cum tali casu ignorentur delinquentes, non possunt personaliter citari, vel moneri. Hinc sufficit, si monitiones taliter fiant, ut in foro externo præsumatur ad eorum notitiam pervenisse, in foro tamen interno debuerunt illis reipsâ innotuisse.

Quares 4. An prærequiratur Canonica monitio ante declarationem vel denuntiationem *cenſuræ*? R. antequam quis denuntietur, incidisse in *cenſuram*, prius esse citandum; quia nemo inauditus condemnandus est, tradi ab Escobar Theol. mor. tr. 4. de cens. Exam. 1. c. 5. Idem ex eadem ratione sequitur de declaratione. Excipe, nisi non tantum adsit notorietas facti, sed etiam notorietas, quod nullam habeat excusationem, nec aliquid Reus allegare possit pro sui defensione; ita Diana cit. resol. 6. n. 5. hinc quando aliqui docent, nullam requiri citationem ante sententiam declaratoriam *cenſuræ* incurſæ, quando



delictum est notorium, intellige, quando cum facto notorio simul etiam notorium est, factum illud nullam habere excusationem, nec Reum aliquid allegare posse: aliàs enim Judex procederet contra Reum, quin det locum justæ defensionis, quam permittit jus naturæ. Et patet ex celebri Glossâ in Clement. 1. de poenis. V. *quam citò commodè poteris*, ubi dicitur: *non debere Judicem quemquam declarare excommunicatum, nisi prius eo vocato viderit, illum morosum præmissâ super hoc summaria cognitione.*

1730 Ex hoc sequitur 1. citationem non esse de essentia cujusque sententiæ declaratoriæ de incurâ censura; patet ex priori num. deinde aliam monitionem ad declarationem, vel denuntiationem non requiri, cum alia ex jure non requiratur, & hæc citatio sufficiat 3. si ommitteretur citatio, existimat Navarrus apud Layman D. 1. p. 1. c. 5. §. nihilominus, declarationem esse invalidam; quod etiam judicat de denuntiatione. Ut autem scias, quid dicatur *notorium*, supponendum peccatum publicum, & famosum à notorio diversum esse. Nam *publicum* esse potest, quod duo, vel tres tantum viderunt, & postea divulgârunt; sic enim per famam fuit factum publicum. *Notorium* autem est, quod fit loco publico, videntibus multis, seu quod scit evidenter major pars populi, vicinorum, aut collegii, respectu cujus factum dicitur, notorium; ita Navarrus in Summa, c. 28. n. 73. quem citat, & sequitur Laurentius Portel. p. 1. casum, seu responsionum moralium, cas. 6. n. 4. Ex hoc infert ibidem, quod pauciorum scientia, quam sex, non faciat rem notoriam, quando illi non sunt major pars respectu illius communitatis. Idem in terminis habet Zerolla ibid. Farinacius autem tom. 1. de inquisitione, q. 2. r. per totum, n. 11. & seq. maxime n. 47. f. 185. docet, ad notorium non sufficere pauciores testes, quam decem; ita ille apud Portel. V. dicenda ulterius à n. 1763.

### ARTICULUS IX.

*De forma Servanda in ferenda censura.*

1731 **H**ic dicendum venit de iis, quæ servari debent in ipso actu ferendi censuram. Quoniam verò hæc potissimum pendunt ex juris dispositione, allegatis ex eo

textibus id decernemus. Cum enim plus, aut aliter in re valde gravi procedi non debeat ab his, qui, solâ juris humani constitutione, jus censuris contumaces perstringendi habent, in modo, & forma pendunt à jure, à Christi Vicario præscripto sic, ut nec supra, nec infra jurisdictionis sibi datæ limites agant. Hinc quæstio est 1. an censura ferri debeat scriptò? R. censuram, quæ fertur ab homine per modum sententiæ, debere in scripto ferri; præcipitur expressè in c. *cum medicinalis*, de sent. excom. in 6. de quo supra n. 1715. idque non tantum in excommunicatione, sed etiam in suspensione, & interdicto. Est autem ibidem sermo de homine ferente censuram per modum sententiæ. Unde id non requiritur ad censuram, quæ fertur à jure, aut lege; quia censura, quæ fertur ab homine per modum sententiæ, potest esse injusta; non verò, quæ à lege; Ita Suarez, Filiuc. Sayr. & alii, quos citat, & sequitur Leander tr. 1. de cens. D. 6. q. 2. Non est tamen necessarium, ut scriptum illud sit *authenticum*, hoc est, manu publici Notarii confectum, aut etiam testibus munitum; hoc enim non præcipitur in c. *cum medicinalis*; nec etiam alio textu probatur. Suarez, Alterius, & alii cum Leandro q. 4. porro, licet præcipiatur, ut scriptura hæc in ferenda censura adhibeatur, non est tamen de valore censuræ; quia in c. *cum medicinalis* cit. Innocentius IV. præcipitur censura *relaxetur*, quæ à Judice lata fuit sine scriptis; ergo valida fuit. Unde quando c. *fin.* de sent. & re judicata in 6. absolute affirmatur de omni sententia, quod sit nulla, si lata fuerit *sine scriptura* in causis summaris, intellige *de sententiis, quæ non sunt censura*; nam hæc clarè excipit Papa; ita Filiucius, Bonacina, & alii, quos citat, & sequitur Leander D. 4. q. 2.

Quæstio est 2. an Judex teneatur sententiam sic conscriptam per se ipsum promulgare? R. affirmative; ita Ugolin. & Sayr. contra Leandrum D. 6. q. 5. quia c. *fin.* cit. id expressè definitur de omni sententia, ut *judices per se ipsos ferant sententiam*, exceptis Episcopis, quibus ob suam dignitatem licet per alios dicere sententiam, nec ullo textu alio excipitur dicens sententiam censuræ. Nec obstat, si dicas: licet ex c. *fin.* cit. de *omni sententia* requiratur, ut in scriptis fiat, tamen in eo non comprehenditur sententia censuræ; ergo licet in eodem



eodem dicatur, ut eam dicant Judices per se ipsos, tamen non comprehenditur sententia censura. R. C. ant. N. conseq. quia quoad illud punctum excipitur sententia censura in c. *Cum medicinalis*; non autem, quoad posterius; hinc ipse Judex debet eam ex scripto legere, nec sufficit memoriter pronuntiare. Nam c. *cum medicinalis* expresse dicitur: *in scriptis proferat*; nec licet arguere: non requiritur, ut Judex ipse conscribat; ergo nec ut ipse legat. R. etiam N. conseq. illud enim non habetur ex ullo textu; quod enim dicitur in c. *cum medicinalis*, potest intelligi *conscribat*, vel per se, vel per alium, posterius autem expresse habetur in cit. c. *fin.* Not. tamen universim, in his specialiter attendendam consuetudinem locorum, & praxim longævo jam usu legitime inductam.

1733 **Quæstio est 3.** an requiratur, ut in eo scripto exprimat causa, propter quam censura fertur? R. affirmative. Est in terminis in cit. c. *cum medicinalis*; aliàs enim censuratus non posset se defendere, nec corrigere, nisi causa illi exponeretur; & debet poni expresse, ut vult textus; hinc non sufficit dicere: *ex causis rationabilibus re excommunicamus*; hoc tamen non pertinet ad valorem censura; cum non probetur ullo juris textu.

1734 **Quæstio est 4.** an Judex excommunicans teneatur tradere Reo, si ab hoc intra mensem fuerit requisitus, exemplum scripturæ continentis sententiam censuræ? R. affirmative; clarè patet ex c. *cum medicinalis*, de quo in præmissis; Sumitur autem ille mensis probabiliter à die requisitionis facta in loco debito; si verò Judex negaret, & tunc primò ante finitum mensem tradere veller, cum Reus abest, debet illi ipse ad domum mittere, & ejus domesticos in testes facti accipere; debet autem illa requisitio Judicis publico instrumento confici, vel literis testimonialibus, & sigillo authentico consignari, c. *cum medicinalis*. Scriptum porò integrum tradi debet Reo poscenti, ac continere sententiam censuræ de verbo ad verbum usque ad notationem diei, mensis, & anni; aliàs enim non esset *exemplum*, arg. c. *Eam re*, de rescript. sic dicit. c. *cum medicinalis*, glossa V. *Exemplum*. Et hoc verum est 1. quando censuram fert contra determinatas personas; sic Leander cit. q. 12. Secundò etiam probabilibus, si contra personam innominatam per senten-

tiam generaliter, qui hoc fecerit; & quis veniret, idque peteret, si sub illa contentus esset; ita Suarez apud Leandrum loc. cit.

**Quæstio est 5.** an Prelati regulares 1735 possint ferre censuras sine scripto, solo verbo? R. affirmative, sed de his tantum apud quos id fert consuetudo, vel eorum constitutiones à Pontifice approbata. Tunc enim habent vim derogandi juri communi; si verò sermo sit, an possint vi privilegii? Hentiq. apud Leandrum q. 17. absolute affirmat propter privilegium à Leone X. illis concessum; alii hoc intelligunt solum tunc licere, cum censuram ferunt contra aliquem fratrem in particulari; non verò per modum Ordinationis communis omnibus ejusdem Ordinis, Provincia, vel Domus; quia ad illud, non ad hoc habent privilegium; ita Portel. in dub. Reg. V. *excommunicatio*, Diana & alii. Verba Leonis sunt: *Quod Prelati Ordinis minorum, cum aliquem fratrem, propter apostasiam, vel aliam causam excommunicant in Capitulo fratrum, vel in communitate, non teneantur proferre sententiam in scriptis, prout in jure sub pena suspensionis præcipitur proferentibus*; ita Rodriguez tom. 1. qq. regul. q. 69. a. 3. pag. 294. Ex quibus colliges, id procedere, si fiat per sententiam particularem contra aliquem, vel aliquos de communitate; non verò per modum Ordinationis, statuti, seu præcepti; aliàs incurrerent peccatum mortale & suspensionem, de qua c. *cum medicinalis*, idque nec ad tempus per modum præcepti; quia privilegium Leonis loquitur de censuris, quæ apponuntur fratribus *ob delictum commissum*, ergo non debet extendi ad censuras *pro peccatis præcavendis*, idque nec tunc, cum visitant suos conventus.

**Quæstio est 6.** An Episcopi, solo verbo 1736 ferentes censuram, peccent graviter, & incurrant suspensionem per mensem? hæc poena suspensionis per mensem imponitur in c. *cum medicinalis*, transgressoribus constitutionis in dicto cap. quo posito: quoad primam partem responsio est affirmativa, nisi in contrarium urgeat justa, & gravis causa; quia textus cit. c. indefinite loquitur de non observantibus ea, quæ ibi præscribuntur: Quoad secundam partem responsio est negativa; quia dictum Capitulum continet solum generalem sententiam poenalem, quin faciat mentionem  
Episco.



*Episcoporum*; hi autem non comprehenduntur in tali sententia, nisi eorum expressa fiat mentio, ut dictum est superius à n. 1687.

1737 Alius tamen Judex Episcopo inferior in hoc casu dictam suspensionem omnino incurrit, si hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator; ita c. *Cum medicinalis*; hinc pœnam istam non incurunt. 1. qui scripturam omittunt, ex justa causa; 2. qui bonâ fide, aut ignorantia inculpatâ. 3. qui ex inadvertentia. 4. videtur probabile etiam de eo, qui ex ignorantia mortaliter culpabilis, si non violet temerariè hanc constitutionem, ut videtur fieri posse. Et hæc pœna dicti Capituli extendit se ad omnes, qui formam in eo præscriptam temerariè violant; hæc autem forma in eo sita est, ut censuræ ab homine promulgentur in scriptis cum expressione causæ, ut copia sententiæ tradatur Reo infra mensem petenti.

1738 Quæstio est 7. an hæc pœna incuratur ipso jure? affirmativam docet Leander q. 13. & alii, quia dicitur: *noverit se suspensum*; sed circa hoc videri utiliter possunt dicta à n. 1614. Transacto autem mense, si peccatum confessus sit, putat Leander q. 24. eum ipso jure restitui in pristinum statum sine alia relaxatione. Si verò durante suspensione celebraret in Ecclesia, aut alia divina officia obiret, eo ipso fore irregularem, ex c. *Cum medicinalis*; & incurri hanc pœnam per omissionem unius etiam conditionis in forma præscripta, quam retuli supr.

1739 Quæstio est 8. an incuratur hæc pœna etiam, cum censura caret effectu? affirmativam tenet Leander q. 17. quia Pontifices in dicta constitutione solum attendant animum ferentis, non autem juris effectum.

Sed contrarium probabilius est, nempe non sufficere actum invalidum in pœnis, nisi hoc ipsum expressum sit. Si dicas: Notarius, qui testamentum falsum ordinat, & facit, si formam testamenti retineat, potest puniri pœnâ falsi, licet testamentum ex alio capitulo nullum sit, Bartolus in L. *quod ergo*, §. *cum autem*, ff. de his, qui notantur infamia; ergo etiam ferens censuram, si retineat formam censuræ substantialem, & omittat aliquid pertinens ad formam juris, incurret pœnam transgressoribus positam: Respondetur dato antecedente N. consequ. quia casus ante-

cedentis expressum est in jure; secus consequentis, loquendo de censura invalida; secus valida, sed suspensa; ita Corneio de Cens. in communi D. 6. d. 2. q. 7.

Quæstio est 9. an liceat censuram ferri in tenebris? R. in c. *Consuluit*, de offic. & potest. judicis delegati, V. *Tenebras*, prohiberi ab Innocentio III. ne judicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris. Censuram autem per modum legis, aut statuti latam in die festo, & validam, & licitam, docet Bonacina, Suarez, & alii; per modum autem sententiæ, & illicitam & invalidam censet Leander cit. mihi tamen videtur solum illicita, quia non potest fieri sine judiciali cognitione causæ, ex c. *Sacro*, de sent. excom. & c. *Nemo*, 2. q. 1. causæ autem non possunt cognosci die festo, c. fin. de feriis.

Quæstio est 10. an censura debeat ferri per signum externum, seu, an ad valorem censuræ requiratur, ut Superior præcipiens sub censura manifestet voluntatem suam aliquo signo sensibili? R. affirmative, ita Gibal. disq. 6. q. 1. n. 2. quia alias voluntas Superioris, utpote non cognita, non obligaret subditum. 2. Quia talis censura foret inutilis; nec enim censuratus posset se protali habere, nec ab aliis haberi, quia nulli constare posset de incurfu. 3. Quia ferre censuram pertinet ad forum externum; ergo non potest ferri solum mentaliter; hæc conclusio extenditur etiam ad sententiam declaratoriam censuræ jam incuræ propter easdem rationes.

Cæterum spectatâ præcisè naturâ censuræ sufficit quodcumque signum sensibile, quo sufficienter notificatur voluntas Superioris præcipientis; ratio responsionis est, quia ex natura censuræ in hac materia aliud non requiritur, quàm, ut sufficienter innotescat voluntas præcipientis. Ex hoc inferes validè censuram ferri à nuto, qui cognitâ sufficienter causâ, & pollens jurisdictione per sufficientia signa v. g. nuntius, aperit suam voluntatem, Suarez D. 3. S. 2. n. 4. Secundò per verba scriptis expressa, & c. Dixi *spectatâ naturâ censuræ*, non enim hic agitur, quid jus Ecclesiasticum in censuris ferendis præscriperit; de quo videri potest c. *Cum medicinalis*, sæpe cit. Nec licet arguere: in judicio pœnitentiæ, forma, quâ datur absolutio, debet constare verbis ore prolatis; ergo etiam forma censuræ. R. enim N. consequ. quia *absolutio* id non



non requirit ex conceptu *judicii ut sic*, sed ex conceptu *judicii Sacramentalis*, quod non convenit censura. Hinc etiam quando dicitur, quod præceptum, vel sententia debeat *verbis* proferri, intellige *verba* laxius, pro quolibet signo sensibili, quo sufficienter significetur voluntas Superioris præcipientis.

1743 Quæstio est 11. an in ferenda censura certa verborum forma sit præscripta? R. negativè; id enim nullo juris textu habetur; requiri tamen jure Ecclesiastico, ut sententia censuræ conscribatur cum expressione cause, ex scripto proferatur, & exemplum Reo petenti intra mensem tradatur, c. *Cum medicinalis*, de sent. excom. in 6. debet autem (ut censura valeat) signum sensibile, quo fertur, esse determinatum ad speciem censuræ, quæ infligitur; quia præcepta censuram ferentia debent esse practica, & operativa effectus, quem significant (illud enim, quod significant, efficiunt, ut formæ Sacramentorum) hoc autem non fieret, si non exprimeretur species censuræ; nam operatio non est, nisi effectus determinati. Deinde præceptum Superioris, nisi in specie determinatum, non obligat; nec sententia Judicis damnans ad pœnam, nisi exprimat speciem pœnæ; ergo in simili de censura, his præmissis:

1744 Quæstio est 12. an censura sit valida, si Superior dicat: *excommunico te?* R. affirmativè; quia licet excommunicatio, ut sic, dividatur in majorem, & minorem; tamen hæc vox *excommunicatio* simpliciter prolata stat pro excommunicatione majori, ut dicemus infra ex c. *si quem*, de sent. excom. ita Suarez D. 3. l. 2. n. 9. Si autem petas, an valeat, si dicatur: *suspendo te?* affirmant Sylvester, Toletus, Avila, Sayrus, Ugolinus, & alii: Sed probabilius negat Suarez D. 3. l. 2. n. 8. & 9. quia non exprimitur, quâ specie suspensionis, an ab officio, an à beneficio, an ab utroque. Neque verbum *suspendo* stat pro una suspensione determinata, sicut verbum *excommunico*, si simpliciter proferatur; intellige saltè eo casu, quo ex subjecto non potest sufficienter determinari, quæ suspensio intelligatur. Nec obstat, si dicas: quando dicitur: *excommunico te*, censura valet, ergo etiam, cum dicitur *suspendo te*. R. enim N. conseq. 1. quia ut dictum est, excommunicatio simpliciter prolata stat pro excommunicatione certa, non suspensio. 2.

Tom. V.

Quia excommunicatio solum analogicè dicitur *de minori*: suspensio autem *univoce de qualibet inferiori*; hæc ergo non stat pro uno certo; sicut illa pro analogato principali, quod est excommunicatio major.

Quæstio est 13. An valeat censura, 1745 quæ fertur alternativè v. g. qui hoc fecerit, excommunicetur, *vel* suspendatur? R. 1. si sermo sit de censura incurrenda ipso facto, non valere; ita Gibalin. de sacra jurisd. disq. 1. q. 2. n. 17. quia sic non incurretur una certa, cum censura sit annexa facto, non electioni delinquentis, nec utraque simul; quia sic particula *vel* jam non alternativè, sed copulativè sumeretur contra suppositum. Neque dicas, particulam *vel* sumi copulativè, ut vult Leander cit. q. 8. sicut sumitur c. *In calicem*, de consecratione, ubi dicitur: Sanguine Christi pacificata dicuntur omnia *vel* in cœlo, *vel* in terra, in quo sensus est, & in cœlo, & in terra. Nam nego assumptum; hic enim sensus copulativus repugnat propositioni alternativæ, nisi aliunde supponas non esse talem, idque colligas vel ex sensu, & materia aliunde, vel ex intentione loquentis; sed tunc est extra statum quæstionis.

R. 2. Censuram, quæ alternativè à Ju- 1746 dice fertur, esse omnino nullam; ita Panormit. Rosella, Sylvestr. Henriq. quos citat, & sequitur Gibalin. q. 2. n. 8. *si quando verò*; nisi fortè Judex Reo præcipiat, ut dicat, quam malit, & tunc à Reo electam infligat; sed tunc non amplius agit alternativè; ita Diana coordinatus tr. 1. de excom. resol. 17. ratio est, quia sententia incerta, & indeterminata nulla est ex L. 3. C. de sent. quæ sine certa qualitate proferitur. Dices: legatum distinctivè scriptum, valet, posita electione legatarii; ergo & censura. R. 1. N. conseq. quia in antecedenti præsumitur voluntas legantis pro ea parte, quam eligit legatarius; cum legatum ex natura rei sit in favorem legatarii; non in censura, quæ est in odium censurati. R. 2. Si præsumatur voluntas censurantis stare pro electa à Reo, non esse quid contra dicta.

Quæres 14. an censeatur quis excom- 1747 municatus ex eo, quod cum illo Papa v. g. nolit communicare? R. negativè; hoc enim non est sufficiens signum voluntatis, quâ censura infligitur. Idem per oppositum dic de absolutione: excipe, nisi aliunde innotescat, quod Papa voluntatem suam

D d d

suam



suam hoc indicio explicare velit. Cùm verò alicui Pontifex dicit: *indignationem DEI, vel Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli incurras &c.* non censetur verba excommunicatoria; tum quia non significant ex se censuram; tum quia nullam important determinatè V. n. 1614. & seqq. ubi de pluribus ejusmodi formis. Si verò quis dicat: *excommunico te, & absolvo*, eâ intentione, ut per priora verba primum censurâ ligetur, per posteriora solvatur, docet Suarez D. 3. f. 2. n. 6. quem citat & sequitur Gibalin. cit. corol. 7. censuram valere; secus, si simul eodem instanti velit ligare, & solvere.

1748 Quæres 15. an censurâ valeat; quæ fertur indeterminatè in unum è duobus? R. quòd non; ita Suarez D. 3. n. 16. Gibalin. disq. 6. q. 1. n. 23. Ratio est eadè, quæ in n. 1743. quia verba censuræ sunt operativa; operatio autem non est, nisi in certo subjecto; hinc etiam ut censura actu valeat, debet fieri in tempore præfenti; nam tempus futurum suspendit ejus effectum.

1749 Quæres 16. an censura possit ferri sub conditione pertinente ad causam v. g. *nisi solveris intra mensem*, ipso facto si excommunicatus. Constat hoc ex frequentissimo usu, c. *Præcrea*, 40. de appellat. ubi Cœlestinus III. ait: *requisiti sumus, si quis Judex ita protulerit sententiam: nisi Sempronio intra 20. dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, aut interdicitum esse cognoscas: ille, in quem fertur sententia, medio tempore appellans, ad diem statutum minimè satisfecerit: utrum ille sententia tali ligetur: aut interpositione appellatus existat?* & respondet, *videtur autem nobis, quòd in hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debeat impedire.* Ex quo textu rectè sequitur, censuram sub conditione de futuro ferri posse; & illam suspendi, si pendente conditione appellatum sit. c. *Romana* 5. de sent. excom. in 6. ibi: *caveant etiam, natales sententias excommunicationis, sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet, si tale quid fecerint, vel etiam pro jam commissis sub hac forma, si de illis intra tale tempus minimè satisfecerint, proferre præsumant: nisi mora in exhibenda satisfactione vel culpa, seu offensa præcesserit, quibus meritis ad injungendam satisfactionem hujusmodi, & taliter prohibenda similia inducantur:*

*aut alia rationabilis (quam in ipsis sententiis exprimant) causa subsistat.*

R. 2. etiam ferri posse censuram valè, de sub conditione impertinente ad causam, modo præfens sit, vel præterita; sic enim habetur, ac si non esset apposta; cum jam sit purificata, & ideo prudentis est non uti hoc modo. Coeterum, si feratur sub simili conditione impertinente, & profus contingenti, valida non est; Quia continens errorem intolerabilem est invalida, ex c. *Per tuas* 4. de sent. excom. & c. *Soler*, 2. eod. in 6. sed censura tali modo lata continet errorem intolerabilem. Est enim intolerabilis usus spiritualis potestatis, eam alligare eventui purè contingenti, & ad causam profus impertinenti; Sic Ugolinus, Suarez, Alterius, & alii cum Leandro loc. cit.

R. 3. validè censuram ferri ab homine sub conditione peccati in futurum committendi; de eadem, quæ taliter fertur à jure, passim conceditur; est contra Covar. & Abbatem, qui contrarium sentiunt. Ratio est, quia nec pugnat cum jure divino, nec naturali, nec Canonico. Nam in c. *à nobis*, 21. de sent. excom. interrogatus Clemens III. an hæc generalis forma excommunicandi: *quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit*, ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generalitè extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione illius? respondit: *Dicimus, quòd hæc sententia non nisi subditis obligetur, nisi fortè plus contulerit major, & largior auctoritas delegantis; qua responsione illam simpliciter approbat.*

Dices: in c. *Romana* 5. de sent. excom. in 6. hanc formam excommunicandi prohiberi; ergo saltem est illicita. R. illam non prohiberi absolute; sed tantum dici, ut caveant, ne utantur, nisi in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit. R. 2. esto ibidem foret prohibitio, jam tamen contrariâ consuetudine illi derogatum esse. R. 3. ibi non esse prohibitionem, sed tantum admonitionem, ne judices facile proferant hujusmodi sententias, sed cum magna circumspectione agant.

Quæres 17. an censura sub conditione lata non incuratur prius, quam conditio apposta impleatur? R. affirmative; quia ea sententia, vel dispositio, quæ infligitur non afficit hominem, nisi cum est absoluta; conditionata enim voluntas pen-



dente conditione, nihil operatur; & ideo censura tunc solum habet vires suas; tunc que censetur proferri à Judice: nam ad diem pronuntiationis retrahere nequit, eo quòd in his rebus spiritualibus fictione locus non sit, sed semper veritas attendatur; Sic habetur expressè in c. licet, 14. de sent. excom. in 6. ubi dicitur, quòd, licet sententia excommunicationis lata, & appellatio- ne interposita suspensa per negligentiam appellantis, qui appellationem non prosequitur intra terminum praximum, non ratificetur, nec conualecat; talem tamen, elapso termino, appellationi prosequenda concessio, posse denuntiari, & vitandum esse, quousque, quòd post appellationem legitimam excommunicatus fuerit, vel aliàs de ipsius sententia docuerit nullitate.

1754 Quæres 18. an censura lata sub conditione, suspendatur per legitimam appellationem ejus, in quem lata est? R. affirmative; si appellatio fiat ante conditionem impletam; quia per appellationem legitimam suspenditur actus Judicis, à quo appellatur, prout statuitur c. Præterea, 40. de appellationibus, quod supra retulimus; hinc si post talem appellationem diceretur sententia censuræ, eo ipso nulla foret ex dictis; quamvis, donec constet de nullitate, sit concedenda absolutio ad cautelam, ex dict. c. 40. Præterea, & c. Venerabilibus, de sent. excom. in 6. ita Suarez D. 3. S. 6. n. 1.

1755 Quæres 19. an censura suspendatur per appellationem factam quocunque tempore, antequam impleatur conditio? Negant Abbas, Ugolinus, Filliucius & Suarez, requirentes, ut fiat intra 10. dies a die sententiæ latæ, juxta c. quod ad, 15. de sent. & rejudicata, ubi Constantiensis Episcopus hanc Pontifici quæstionem proposuit, *utrum appellationi sit Clerici deferendum, qui purgationem indictam sibi per sententiam, & ad ipsius receptionem terminum competentem (puta viginti dies vel amplius) sine contradictione recipiens: & ad diem veniens consequenter, appellat, causam non exprimens appellandi: nec sit locus nisi suscipienda purgationi & executioni sententiæ, à cujus prolatione & purgatione injuncta ultra decendum dicitur effluxisse?* Cui quæstioni rescribens Pontifex, taliter duximus respondendum, inquit, quòd, cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicata, qui, quia provocationis subsidium intra id temporis non recurrit,

Tom. V.

appellandi sibi aditum denegavit: cum per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse, præsertim ubi causa non redditur appellandi. Sed nec executionem ipsius sententiæ ideo convenit retardari, licet ad hoc agendum quadrimestre tempus regulariter sit statutum: quia id arctari potest nonnunquam à sedente in medio, & etiam prorogari: & qui ab initio sponte recipit terminum, breviorum imputari sibi potest & debet: cum videatur amplius beneficium contempsisse: unde *ta- lis non audietur appellans, nisi fortè adversus eum modus executionis Canonicus exce- datur.*

Affirmant autem Navarrus, Covar. 1756

Alterius, Corneio, & Leander cit. cum Suarez D. 3. S. 6. n. 4. qui, licet negativam vocet securiorem; hanc tamen satis tutam, & in foro conscientiæ, & etiam in foro externo securè posse Judices juxta illam pronuntiare; quia, licet in dicto c. pro interponenda appellatione statuatur 10. dies, ut illa vim suspensivam habeat; tamen si nondum elapsis diebus posita sit conditio, censura non ligat, nec transit in absolutam; ergo interim semper appellari potest. Dictum enim Capitulum videtur solum loqui, quòd tunc non valeat appellatio, quando lapsis diebus sententia transit in rem judicatam, quod non fit in censura conditionate lata ante impletionem conditionis.

Cæterum si conditio, sub qua lata 1757 est censura, ponatur ante elapsos dies, appellatio post conditionem positam facta, licet intra decem dies illos fiat, non invalidat, nec suspendit censuram. Ita Suarez, & Filliucius cum Leandro q. 18. contra Alterium, qui judicat valere appellationem, & quoad effectum devolutivum, & suspensivum. Ratio est ex c. Pastoralis, 53. §. verum, de appell. ubi dicitur, quòd licet excommunicatus ab excommunicatione, quæ jam sumpsit vires, appellet, ante denuntiationem, tamen denuntiari possit, & beneficii redditibus spoliari: sed excommunicatio conditionata, posita conditione, jam sumpsit vires; ergo; & c. is, cui, 20. §. Sanè, de sent. excom. in 6. ubi expressè statuitur, quòd non valeat appellatio, saltem quoad effectum suspensivum, contra censuram, quæ jam sumpsit vires, & absolute prolata est. Hinc illi decem dies pro appellatione statuti sunt solum de

Ddd 2

senten-



sententia, quæ prius non sumpfit vires. Textus c. *is cui*, sic habet: Sanè sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur.

1758 Quæres 20. an censura, lata sub conditione, suspendatur per consensum partis, in cuius favorem lata est, etiam invito, vel inscio Iudice? R. affirmative; ut, si pars adversa condonet debitum, vel pro roget terminum solutionis sibi debitæ. Quia si creditor cedit suo iuri, vel simpliciter, vel ad tempus; debitor consequenter non solvendo non peccat, atque adeo nec censura materiam præbet. Hinc ejusmodi censuræ sunt implicite conditionatæ, si scilicet creditor id exigat; ita complures cum Leandro q. 19. & 20.

1759 Quæres 21. an deinde, elapso termino, quem creditor prorogavit, debitor incurrat illam censuram, si non solvat? negant Henric. & Navarrus; quia præceptum illud fuit alligatum triduo, ultra quod esse nequit efficax: Suarez tamen, & Hurtado affirmant; quia obligatio Iudicis non fuit ad finiendam obligationem, sed ne solutionem differat ultra tempus illud sine consensu creditoris; hinc prorogato termino, & non soluto debito manet jus prioris præcepti. Ex quo vindicat Leander q. 21. nec requiri novum consensum Iudicis.

1760 Quæres 22. An valeat hæc forma: *Excommunico te, si ab hac sententia appellaveris?* R. negativè; quia non operatur censuram, nisi positâ conditione; sed hac positâ non operatur; conditio enim est appellatio, quæ, ex dictis n. 1754. suspendit censuram, antequam vires sumat; ita Gibalin. disq. 6. q. 1. n. 27. & Innocent. III. c. *Præterea*, 2. de appell.

1761 Quæres 23. An quis effugiat censuram latam sub conditione, si illâ pendente forum mutet? R. negativè, si lata sit propter delictum præteritum, & commissum tempore prioris subjectionis; non verò, si propter futurum feratur per statutum, aut sententiam generalem. Ratio prioris est; quia supponitur lis jam intentata, & sic coram primo tribunali finiri debet; ratio secundi est per oppositum; quia ubi delictum adhuc pendet in futurum, lis nondum est intentata.

Ex hoc respondeatur etiam ad quæstio. 1761. nem: an censura sub conditione lata, sed impedita tempore, quo impletur conditio v. g. per Iudicis suspensionem, vel excommunicationem, reviviscat, impedimento sublato Iudicis? Nam affirmandum est, si conditio duret, usque dum tollatur impedimentum, reviviscere; secus, si statim transeat: exemplum primi est, si dicatur: *nisi solveris intra mensem, sis excommunicatus*: secundi, *nisi hodie breviarium oraveris, sis excommunicatus*. Si Episcopus suspendatur ante elapsum mensem, & tu non solvas, etiam post hunc mensem, quo Episcopus à suspensione solvitur, incurres excommunicationem; quia conditio non impleta durat contumaciter; secus non oratio breviarii profesto v. g. hodierno; ita Navarr. Suarez, Filliuc. & alii.

Præter dicta à n. 1721. not. 1. Iudicem, qui non servat in ferenda censura conditiones, & formam juris præscriptam in c. *Cum medicinalis*, de sent. excom. in 6. peccare mortaliter, & incurere ipso iure suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & divi. no officio per mensem, ut jam notavimus loco cit. ubi egimus de pœnis non servantium formam præscriptam ante ferendam censuram. Unde si sic excommunicatus (scilicet non servatâ formâ juris præscriptâ, & servandâ in ferenda censura) Superiorem adierit, sine difficultate ab ipso absolvendum esse, & Iudicem, qui taliter censuram tulit, condemnandum ad expensas, & interesse, & aliâ pœnâ puniendum, si Superior iudicet, expedire; ita c. *Cum medicinalis*, de sent. excom. in 6. ubi additur: *quod si Iudex ita suspensus, divinis officiis, se immiscuerit, incurrat irregularitatem, in qua solus Papa dispensare possit*; quod tamen non procedit, si censuram non ferat *judicialiter*; quia verba canonis loquuntur *de Iudicibus*, ibi: *si quis autem Iudicem, &c.* ita Sayrus l. 1. thes. c. 13. n. 18. Nec etiam necessarium est, allatas conditiones observari, quando Superior aliquem per simplicem prohibitionem suspendit ab actione sibi non competente ex iure, sed tantum ex suspendentis venia & commissione; sic enim non est censura; secus, si prohiberet actum competentem ex iure, ut si Episcopus Parocho interdiceret audire confessiones, ita Gibalin. cit. n. 26.



ARTICULUS X.

De servandis post latam censuram.

1764 **E**xpeditis illis, quæ pertinent ad observationem tum eorum, quæ antequam censura feratur; tum in ea ferenda servari debent; agendum etiam de iis, quæ attendi debent post censuram latam, ut sunt denuntiatio, & appellatio; de his igitur in præsens.

§. 1.

De Denuntiatione.

1765 **D**enuntiatio est ipsius poenæ, seu censure executio, seu publicatio; hac enim posita nanciscitur censura suum ultimum finem; non sumitur proinde hic pro accusatione, vel delatione subditi apud Superiorem, de qua latè alibi agitur, quo posito: Quæres 1. an post latam sententiam, debeat necessarîo sequi denuntiatio? affirmat Leander tr. 1. de cens. in communi, D. 7. q. 1. & de excommunicatione probat ex decreto Honorii Papæ, in c. *Cura*, II. q. 3. c. *pervenit* I. c. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appellationibus, c. *Parochianos* & c. *conquesti*, de sent. excom. De interdicto habetur in Clement. ult. de censibus. De suspensione in Clement. 2. de poenis: sed hoc limitari debet, ut non intelligatur de omni censura, sed solum de censura lata contra particularem, & determinatam personam à iudice, post trinam vel formaliter, vel virtualiter talem, canonicam monitionem; & de huius executione loquitur c. *Cura*, ibi: *Cura sit omnibus Episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam Episcopis vicinis, quam suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesie cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis, ubique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.*

1766 Sed nota ly *cura sit*. Nam hæc verba præcisè non important necessitatem præcepti. Deinde in c. *Pastoralis* cit. solum dicitur, denuntiare *potes*, licet excommunicatus appellet ab excommunicatione, quæ jam prius sumpsit vires. Unde ex his duobus textibus non rectè assertum suum probat Leander; secus tamen ex c. *Parochianos*, 9. de sent. excom. ibi: *Parochianos vestros, si qui in Monachos, vel Conver-*

*fos præfati ordinis violentas manus iniecerint: sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti excommunicatos publicè nuntietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec clæsis congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent. Ubi sermo est de percussoribus Monachorum, & Converterum ejusdem ordinis. Idem habetur c. *Conquesti*, 22. eod. ibi: quoniam igitur hæc gravia sunt, nec clausis debent oculis pertransiri, mandamus, quatenus si ita est, memoratos sacrilegos publicè accensis candelis, app. cess. excommunicatos denuntietis, & faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec passis injuriam congruè satisfaciant, & illata damna data refarciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus se Sedis Apostolicæ conspectui repræsentent. Loquitur ibi de his, qui Ecclesias violenter fregerunt, easque spoliarunt, & homines earum deprædari nullatenus dubitarunt.*

Quando verò censura incurritur ipso 1767 facto, non tenetur Episcopus Reum denuntiare; quia censura tunc non lata iudicè; excipe nisi pars instaret pro plena executione talis poenæ; tunc enim Iudex non posset denuntiationem recusare. Ad idem tenetur in certis aliis casibus à jure præscriptis. 1. in Clement. 1. de poenis, de eo, qui capit Episcopum 2. in Clem. 2. de iis, qui capiunt viros Ecclesiasticos, ut renuntient suis beneficiis. 3. in Extravag. unica de furtis, de iis, qui furripiunt bona Ecclesiæ. 4. c. *Parochianos* de sent. excom. de iis, qui manus violentas iniecerunt in Monachos. Ex hoc autem patet, sententiam Leandri, de qua n. 1765, nimis universalem esse.

Denuntiationem semper esse faciendam à legitimo Superiore, seu de ejus auctoritate, negat Geminianus, & Ugolinus apud Leandrum q. 4. saltem tunc, cum delictum est adeo clarum, & publicum, ut nullâ tergiversatione celari possit; sed rectius affirmat Leander q. 4. & apud eum Suarez D. 3. S. 13. n. 7. & 8. Filliucius, Bonacina, & alii; quia denuntiatio est executio censure, & consequenter actus potestatis coercitivæ, qui pertinet ad legitimum Superiorem, vel ejus delegatum. Quando censura incurta, fuit lata ab homine, denuntiatio primò & per se fieri debet ab eo, qui censuram tulit. Nam ad ipsum per-



tinet exequi suam sententiam, ex c. *Pastoralis* §. *Verum*, de appell. quamvis etiam fieri possit à delegato juxta Gloss. in c. *Super*, de offic. deleg. V. *Executorem*; si verò lata sit à jure, denuntiatio fieri potest ab Ordinario delinquentis, vel loci, in quo commissum est delictum.

1769 Quæres 2. an denuntiationem præcedere debeat sententia declaratoria criminis commissi? Negant aliqui saltem tunc, cum adeo notorium est, ut nullâ possit tergiversatione celari; sed universaliter affirmat Suarez, Filliucius, Bonacina; quia vix moraliter est possibile, quòd crimen sit omnino inexcusabile; ergo, quòd crimen sit notorium, non impedit, quo minus debitus Ordo justitiæ servetur, ut sic nemo non auditus damnetur. Et videtur deduci ex c. *Pervenit*, 13. de appellationibus, juncto eo, quod diximus supr.

1770 Quæres 3. An denuntiationem & declarationem criminis præcedere debeat citatio Rei? R. quòd sic, cum sit actus judicialis, atque adeo fieri debeat cum cognitione causæ; secus invalida est sententia; ita Leander q. 9. cum pluribus. Nam contra inauditam partem nihil potest in judicio definiri, etiam à Papa, ut habetur c. 1. de causa possess. & propriet. ubi Gregorius Pontifex sic loquitur: *legali provisione decretum est tam momenti, quam proprietatis causam, sub uno eodemque iudice debere cognosci. Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.* Si verò Reus citatus compareat, seque paratum ad emendationem ostendat, non potest Judex justè procedere ad denuntiationem; ita Suarez D. 3. S. 10. n. 17. quem citat & sequitur Gibalin. disq. 6. q. 3. n. 2. Quia cum primum Reus ostendit se correctum, à censura absolvendus est, ex c. *quâ fronte*, de appell. præfertim si parti satisfacere velit. Licet enim denuntiatio non sit nova censura; affert tamen novam infamiam Reo, & aliis obligationem vitandi, ad quam, si procedat Reo jam correcto, non videtur agere ex mente Ecclesiæ, solum punientis taliter contumacem.

1771 Not. autem, quòd Judex, sciens, sententiam censuram latam esse injustam, teneatur saltem regulariter sub mortali, non denuntiare, hoc enim aliud non esset, quam inchoatam injustitiam profèqui; ita Leander q. 16. ex Suarez. Idem est, si sciat esse nullam, c. *Super eo*, de crimine falsi, si

verò sententia secundum allegatâ & probatâ, sit justa, quamvis executori privata notitiâ constet, in re esse injustam, existimat Leander q. 18. quòd, si Superior præcipiat, executor debeat denuntiare; probat ex c. *Pastoralis*, §. *quia verò*, de offic. & potest. judic. deleg. ubi asserit, hoc expressè definiri ab Innocent. III. Extenditur etiam ad eum casum, quo executor dubitat, num censura justa sit? ex eadem ratione, modò executor non possit commòdè se excusare, vel Superiorem à priori sententia dimovere.

Si autem executori *confiteatur*, sententiam esse injustam secundum allegatâ & probatâ: R. tunc non posse sententiam exequi, quia, ut habet Gloss. in cit. c. *Pastoralis*, V. *etsi sciat*, non semper obediendum est Judici, si evidenter iniquum est id mandatum ipsius, sive contra jus, c. *quid culpatur*, 23. q. 1. & c. *non semper*, & duobus sequentibus, 11. q. 3. ita Suarez, & alii: secus si sententia solum esset injusta quoad modum accidentalem, talis enim executor aliquid non facit, quàm quòd sententiam validam & justam substantialitèr declaret, in quo nullum est peccatum.

Quæres 4. quo loco facienda sit denuntiatio? R. quòd publicè in Ecclesiis, & postea in scriptis affigi ad portas earum cum expressione causæ, vel juxta receptum modum, c. *Cum medicinalis*, de sent. excom. & c. *cura sit*, 11. q. 3. in solemnitate anathemate plures adhibentur ceremoniæ, de quibus vide c. *debeat*, 11. q. 3. Suarez D. 3. S. 14. n. 4. & alios: fieri autem debet denuntiatio die non festo, seu non festo, si præcedere debet citatio & cognitio causæ, hæc enim die festo fieri prohibentur: secus si alias facta sint, imò sic expedit, ut sententiæ notitiâ ad plures perveniat.

§. 2.

*De Appellatione à sententia censura.*

**A**ppellatio est à minore iudice ad majorem ratione gravaminis provocatio; cujus, si legitima sit, jus duplex est; 1. devolutivum causæ ad Superiorem, existimando illum à Judice, à quo appellat, & devolvendo causam ad Superiorem, ad quem appellat. 2. suspensivum sententiæ. Ex quo infert Castropal. D. 1. hic, p. 8. n. 1. quando appellatio utrumque effectum habet, per illam omnino impediri censuram, quia



quia tunc in ferente deficit potestas ex c. *Si à iudice*, de appell. in 6. c. *Praterea*, de appell.

1775 Norandum autem 1. quòd sola appellatio legitima habeat effectum suspensivum censuræ; nisi fortè, si talis non esset, nihilominus illam Judex, ut talem admitteret; Suarez D. 3. de cens. S. 3. n. 6. Avila, & Hurtad, quos citat, & sequitur Castropal. cit. n. 3. Si verò Judex, à quo appellas, tuam appellationem, ut frivolam, rejiciat, & ad censuram procedat; in foro quidem conscientia à censura excusatus eris; nec licet illo tempore celebres, irregularitatem incurris: externè tamen censurà ligatus judicaberis, quousque Judex, ad quem appellas, appellationem tuam legitimam declarat, ex c. *ad presentiam nostram*, de appell. & c. *solet*, de sent. excom. in 6.

1776 Not. 2. quòd nulla appellatio suspendat censuram jam incursum c. *Per tuas*, 40. de sent. excom. c. *Pastoralis*, de appellat. Hoc Castropalaus extendit etiam ad declarationem censuræ jam incursum, ex eod. capite; sed limitat, si, nullà ratione celari possit, censuram incursum esse; secus, si dubium sit, & appellans non obstante sententiâ declaratoriâ Judicis alleget, se vel non commississe delictum; vel non eâ ratione, ut sit materia censuræ; ita etiam apud illum Navarrus, & Hurtado; quibus præmissis:

1777 Quæres 1. an appellatio contra denuntiationem censuræ jam incursum, ab homine lata, faciat, ut Judex Reum ad hoc citatum, non possit denunciare? Negat Leander tr. 1. de cens. D. 7. q. 12. quia appellatio à censura, ab homine lata, non impedit denuntiatum, c. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appell. c. *Cum contingat*, de offic. delegati c. *Is, qui*, de sent. excom. in 5. Est autem sermo, inquit Leander, de Judice ordinario; non delegato, quem, ait, cessare pro illo casu esse Judicem, interpositâ appellatione inter censuram incursum, & denuntiationem, ex c. *Pastoralis*, §. *Praterea*, & c. *Cum autem*, de offic. deleg.

1778 Sanchez verò tom. 1. consil. 1. 3. c. *Unic.* d. 32. n. 242. & alii affirmant, Nam c. *Pastoralis* citatum à Leandro non loquitur de censura, *lata ab homine*; sed illa, quæ executionem secum trahit. Neque c. *Cum contingat* illi quidquam favet. Sed revera nec c. *Is qui* verbum habet; ideo

adhæreo sententiæ P. Sanchez, quia appellatio legitima in tempore facta habet universaliter vim suspensivam sententiæ, ut cum communi tenet Diana tr. 1. de excommunicat. resol. 141. excipe, nisi Judex procedat cum potestate: *non obstante appellatione.*

Quæres 2. An saltem appellatio à censura, contra ignorantem lata, impediatur Judicem, ne Reum denuntiet? R. si sit ignorantia, quæ excuset à censura, impedire. Tunc enim censura non esset incursum; secus dicendum esse vult Leander q. 13. si non excuset; verum mihi probabilius est, quòd etiam tunc impediatur propter dicta in superior: Ceterum omnino existimo, tunc appellationem non impedire denuntiationem censuræ sic jam incursum, quando id ipsum nullâ tergiversatione celari potest, & ob hoc appellatio esset non legitima. Pro hoc citat Leander q. 14. c. *Parochianos*, de sent. excom. sed hoc tantum præcipit, sublato remedio appellationis denunciari, qui percussit Monachum, vel conversum religiosum. Ex alio igitur Capitulo probari debet, scilicet, quòd tunc appellatio non possit esse legitima, quando causæ æquitas per se manifesta est.

### ARTICULUS XI.

*De culpa, propter quam ferri possit censura?*

Causa materialis proxima censuræ communiter dicitur culpa, in cujus vel correctionem, vel evitacionem fertur censura, aut saltem per minas interminatur; quamvis homo sit subjectum, quod hanc poenâ coercetur. Hic enim per causam materialem intelligitur solum ratio, ob quam quis hac poenâ dignus sit. Judex autem ad censuram absque manifesta, & rationabili causâ procedere non debet, c. *Sacro* 48. de sent. excom. Unde censuram propter solam culpam validè ferri posse, tenet communis cum Suarez de cens. D. 4. S. 1. n. 1. Hurtado, Filliuc. Castropal. D. 1. de cens. p. 7. n. 1. & alii. Omnis enim poena necessariò supponit culpam; sed censura est poena, nimirum spiritualis, & medicinalis, curans, aut præservans à morbo spirituali, quod est peccatum; ergo.

§. 1.



## §. 1.

*An censura ferri possit propter culpam alienam?*

1781 **R**espondent aliqui ad suspensionem, vel interdictum incurrendum sufficere quidem culpam alienam; non autem ad excommunicationem; ita Escobar de censur. tr. 4. Exam. 1. c. 4. Ratio primæ partis est; quia sæpe, saltem cum generaliter feruntur, ob unius delictum in totam communitatem feruntur, ex c. *Si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *si sententia interdicti proferatur in Clerum*, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiam è converso. Unde *uno interdicto ipsorum*, alius licitè admittitur ad divina. Cœterum cum propter delictum domini, vel Rectoris est civitas interdicta: cives ejusdem (qui culpabiles non existunt, dummodo & ipsi propter dominum, vel Rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti), possunt extra ipsam licitè interesse divinis. Cum verò alicujus terræ populus *interdictio* innodatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cum divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo *ut universis* non competant) non debent alicubi (casibus expressis à jure duntaxat exceptis) adire divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta. De *suspensione* probant etiam ex eo; quia hæc non privat bonis spiritualibus ad proprium animæ bonum pertinentibus, sicut excommunicatio; ita complures apud Leandrum tr. 4. D. 2. q. 7. Negant tamen ad suspensionem sufficere culpam alienam Navarrus, Cajeranus, Sotus, Suar. Sayr. & alii. Quamvis aliqui velint suspensionem, quæ imponitur Clerico in particulari, non posse imponi absque culpa propria; secus de illa, quæ imponitur communitati; ita Henriquez l. 13. c. 34. n. 1. Ratio secundæ partis est; quia ob id à jure cautum est, ne excommunicatio in communitatem feratur, ut diximus supra,

## §. 2.

*An requiratur culpa contra præceptum Ecclesie?*

1782 **R**esp. censuram ferri non posse, nisi propter peccatum specialiter ab Ecclesia prohibitum; ita Sotus, Navarrus, Suarez, Layman, quos citat & sequitur Castropal. D. 1. p. 7. n. 6. quia potestas fe-

rendi censuras non est Ecclesie à Christo commissa, nisi in filios Ecclesie inobedientes; qui scilicet Ecclesiam non audierint: ergo infligi non possunt, nisi in eos, qui Ecclesiam non audierint mandantem vel prohibentem. Ex quo sequitur censuram ferri non posse, nisi propter peccatum contumaciæ contra præceptum Ecclesie sub interminatione censuræ latum; ita Sotus, Ayila, Suarez, Molina, Sanchez, Henriquez, Coninch, & alii, quos citat, & sequitur Diana tr. 1. de excom. resolut. 8. contra Covar. & Hurrad. quòd requirat contumaciam, patet ex verbis Christi, quibus contulit Ecclesie potestatem ferendi censuram, de quibus egit n. 1625. quòd verò debeat esse contra præceptum Ecclesie comminantis censuram, deducit ex eo Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 4. quia ubi non est prævia monitio & comminatio, nec est contumacia; sed hæc intellige juxta superius dicta à n. 1712. Non requiritur tamen formalis inobedientia (quia censura non supponit, violari duo præcepta formaliter, quod tamen eveniret) sed sufficit transgressio præcepti Ecclesiastici comminantis. Hinc inferes, censuram ferri non posse propter peccatum, qualecunque sit, quod est tantum contra legem naturalem, vel divinam, nisi etiam sit specialiter ab Ecclesia vetitum.

## §. 3.

*An censura ferri possit propter peccatum merè internum?*

**P**er peccatum merè internum hic intelligimus, quod committitur solà mente, quin transeat in actum externum, quo posito: 1. non posse ferri censuram propter peccatum purè internum; ita Navarrus, Covar. Suarez, & alii, quos citat, & sequitur Castropal. de cens. D. 1. p. 7. n. 4. Leander tr. 1. D. 6. q. 3. contra nonnullos Canonistas: patet 1. ex c. *Tua nos*, & c. *sicut tuis*, de simon. ubi expressè dicitur, dationem ex animo simoniacò procedentem, si hic exterius non prodatur, ab Ecclesia non puniri. Idem fatetur Innocentius III. in cit. c. *Tua nos*, & habetur in Trid. Sess. 24. de reform. c. 1. de matrim. patet etiam ratione; quia Ecclesia non judicat, nisi de manifestis, ut patet ex cit. c. ergo nec pro occultis potest ferre pœnam. Ex eo autem, quòd Ecclesia secum 1784 dum aliquos possit reservare peccata purè inter-



interna, non sequitur, quod illa etiam possit punire; illud enim non requirit actum iudicii, sicut istud, sed tantum, ut iurisdic-tio quibusdam negetur, 2. licet potestas Ecclesie sit spiritualis, est tamen in illa *modo humano*, atque adeo exerceri debet modo humano; ergo extendi solum potest in ea, quae homines cognoscunt per signum sensibile. 3. Ecclesia nunquam tulit censuras contra tale peccatum. Hinc punit censuris illum, qui crediderit, mundum hunc non esse à DEO factum, casu quo suam haeresim aliquo signo externo expresserit. Idem est, cum Inquisitores ex alio pravo affectu procedentes excommunicantur, si scilicet indicio sensibili prodatur. Deinde cum dicitur: Ecclesia habet iurisdictionem in actus internos; distingue: puniendos censuris, N. aliâ ratione, transf. illud enim expressè negatur in iure, V. dicta l. 1. tit. 2. de Constitut. dico *transfert*, nam loc. cit. non admitto, si loquatur de actibus *merè* internis.

§. 4.

*An actus externus debeat esse signum malitia, propter quam Ecclesia imponit censuram?*

1785 **R** Esp. probabilius affirmari cum Suarez D. 4. S. 2. n. 20. & aliis, quia censura ferri non potest propter peccatum purè internum ex n. 1783; ergo tantum propter peccatum signo externo manifestatum; ergo non punit censuris haeresim purè internam sed externam; sed si signum externum illam non significet determinatè, illud signum non est externa haeresis; signum enim indifferens non est externè determinatum; ergo. Deinde ex signo externo indifferente Ecclesia non potest iudicare de peccato alterius; ergo nec illud taliter significatum punire. Hinc bene negatur incurri censuram latam contra haereticos ab eo, qui internè consentit in haeresim, & exterius repentè dicat: ita est, vel mensam percutiat.

1786 Probabilius etiam negatur incurri censuram latam in eum, qui exercet actum externum malum sub censura prohibitum, sed non procedentem ab actu interno, habente malitiam illam, quae sub censura prohibita est; Nam de facto, si imposita est excommunicatio contra haereticos, & aliquis metu mortis exercet actum externum infidelitatis, retentâ tamen interius fide,  
*Tom. V.*

quamvis ab Ecclesia possit in foro externo puniri tanquam haereticus, in foro tamen conscientiae non incurrit censuram positam contra haereticos. Ratio primae partis est, quia ratione actus externi potest praesumi haereticus, consequenter puniri, ut talis. Ratio secundae est: quia talis excommunicatio solum est contra illos, qui verè sunt haeretici; at ille, qui mente retinet veram fidem, non est verè haereticus, esto exerceat actum illum externum; ergo. min. pat. quia de ratione haeresis est error intellectus contra fidem.

Quari etiam potest, an incurrant cen- 1787 suram latam contra non observantes praep-ta Ecclesiae, qui solum fide, scilicet actu externo, sine interno illa observant? Negant Henriquez, & alii; quia talis implet substantiam praep-ti. Ego existimo, incurrere censuram, omittendo actum internum, qui pertinet ad substantiam rei praep-tae; secus si non pertineat; sic enim primo casu non servaretur praep-tum; secus in secundo; ergo incurreret in primo censuram latam contra non observantes praep-tum.

§. 5.

*An ad incurrendam censuram requiratur actus externus in sua specie morali completus, & consummatus?*

1788 **R** Esp. 1. Quoties fertur censura sub ver-bis includentibus ultimum terminum actionis physicae, nullo modo quem ligari censurâ, quousque consummatus fuerit ultimus terminus talis actionis. Quia cum censura sit poena, restringenda est ad terminos, ad quos est applicata. Similiter quotiescunque fertur censura sub verbis requirentibus in Reo perfectum voluntarium, non ligatur quis censurâ, si hoc absit. 3. Si fertur censura sub verbis includentibus veritatem culpae, non incurritur censura, si culpa commissâ sit fide; idem est, si modus absit, & censura lata sit sub verbis includentibus eum modum; quia reverà tunc non ponitur culpa, prout est sub censura vetita.

Ex hoc universim deducitur, nunquam 1789 incurri censuram, nisi ponatur actus exter-nus in ea ratione consummatus, prout sub censura, sub verbis ipsam exprimentibus, est prohibitus. Hinc si sit censura latae sententiae per statutum particulare Episcopi in homicidas, non incurrit illam, qui in ta-  
*Ecc liter.*



li territorio lethale vulnus infligit alteri, primum deinde mortuo extra territorium. Quia talis non ponit homicidium ibi, ubi sub censura prohibitum est. Nam homicidium, ut ait Diana tr. 1. de excom. resolut. 9. non significat solam actionem ex parte agentis perfectam, sed ut conjunctam cum morte. V. n. 2493.

1790 Ex dictis inferes 1. non excommunicari eum, qui lapidem projicit contra Clericum, si Clericus eo non est percussus; non enim posuit delictum secundum terminum actionis physice, quem includunt verba censuræ, in c. *si quis suadente* 17. q. 4. Inferes. 2. Confessarium absolventem aliquem à casu reservato in bulla coenæ, quia putabat illum non contineri in ea bulla, non esse excommunicatum; quia verba illius censuræ requirunt perfectum voluntarium, significatum per illa verba: *si quis presumpserit*; hoc autem in presenti abest; ergo, ita Suarez D. 21. S. 3. in fine; præsumptio enim requirit quandam audaciam, ut notat Gibalinus de jurisdictione Sacra, disq. 5. q. 2. n. 20. Inferes 3. eum, qui fingit se hæreticum, ut liberè transeat per loca hæretica, non esse excommunicatum; quia talis in veritate non est hæreticus, ut constat ex n. 1786. plures ejusmodi casus ex principiis positus resolvi possunt.

1791 Si quæres, an censura semper supponat culpam mortalem? Excommunicatio major, ex communi Doctorum consensu, ut ait Leander q. 19. supponit culpam mortalem. Cum enim sit poena gravissima, contra æquitatem justitiæ vindicativæ foret, pro minori, quàm lethali culpa, illam imponere: Secus dicendum est de excommunicatione minori; hæc enim incurritur propter communicationem cum excommunicato vitando, quæ ratione materiæ sæpius est venialis. De culpa, quam supponit suspensio, & interdictum, dicemus infra. Videri tamen potest Gaspar Hurtado de Cens. difficult. 10. Sed notandum est ex Escobar. Theol. moral. tr. 4. c. 4. Exam. 1. posse Superiorem sub excommunicatione aliquid prohibere, quod licet secundum se leve sit, aut indifferens: tamen grave sit ob circumstantiam, seu finem ab illo intentum; & in censuris ferendis à judice ordinem esse servandum, & non statim à summa incipiendum; ita Suarez D. 4. S. 4. n. 5. & alii.

## ARTICULUS XII

*De causis excusantibus à censura.*

1792 Inter præcipuas causas, de quibus movetur controversia potest, excusantes à censuris, est *ignorantia*, & *metus*. Expone-mus primum horum naturam, & divisionem (eorum enim usus frequentissimus) tum super hoc sententiam dicemus. Igitur: Quæstio est 1. an, & qualis ignorantia excuset à censura? Gabriel Beatus qq. moral. 18. de ignorantia, dicit *ignorantiam* aliam esse *privativam*, cum quis alicujus rei notitiâ caret; aliam *positivam*, quæ etiam dicitur præ dispositionis, quando etiam circa talem rem errat, ut contingit per judicium falsum. Cum quis nescit talem rem esse lege, vel præcepto veritam, dicitur *ignorantia juris*; v. g. cum nescit esum carnishoc die veritum, cum vero nescit factum suum esse adversus talem legem, dicitur *ignorantia facti*: cum denique nescit, poenam esse annexam tali facto prohibito, dicitur *ignorantia poenæ*. Ex his quælibet ignorantia juris, facti & poenæ potest esse culpabilis, seu vincibilis & inculpabilis, seu invincibilis. Aliqui dicunt, tum ignorantiam esse culpabilem, quando quis nescit, quod scire poterat & debebat, cetero nihil prius circa talem rem (nullus v. g. scrupulus, vel dubitatio) occurrerit. Mihi tamen omnino, probabilius saltem, videtur, quod nulla operatio de se materialiter mala, secuta ex ignorantia sit formaliter culpabilis, & inde peccaminosa, nisi de obligatione advertendi præcesserit saltem aliqua dubitatio de malitia talis operis; alias enim opus non erit voluntarium, in quantum malum; cum fieri nequeat, ut voluntas velit malum, ab intellectu nullatenus præcognitum; ita Vasq. Suar. Tanner. & alii cum Layman l. 1. tr. 2. c. 4. n. 6. Ignorantia culpabilis, quæ etiam dicitur vincibilis, secundum qualitatem culpæ, quæ committitur per negligentiam sciendi, spectatà obligatione, dicitur culpabilis, vel mortaliter vel venialiter.

Ignorantia verò tunc dicitur *invincibilis*, seu *inculpabilis*, seu *probabilis*, quando post adhibitam debitam diligentiam, quam exigit ratio in talibus circumstantiis, depoeni non potest ignorantia illius, circa quod dubitatio, vel scrupulus inciderat, aut, cum non tenebatur ad procurandam obligatio-



gationis notitiam. Hinc etiam dicitur *justa, involuntaria, & excusans à culpa*; cum actio ex ista facta secundum rationem mali, non sit voluntaria, utpote secundum hoc non cognita; antecedit enim omnem actum voluntatis, ut notat Escobar Theol. moral. princip. Exam. 2. c. 5. imò Hurtad. de cens. in communi, difficult. 21. ignorantiam invincibilem vocat illam omnem, quæ vincere non potest, ut quando rei ignorata nulla est orta dubitatio, vel suspicio.

1794 Ignorantia vincibilis, quæ etiam dicitur improbabilis, injusta, & voluntaria, dividitur in crassam seu supinam, & affectatam. Dicitur *crassa*, quando oritur ex neglectu diligentia communis, & ordinario debita in talibus circumstantiis sciendi talem rem, cujus dubium, vel scrupulus incidit, vel quam scire poteramus, & debebamus. *Affectata* verò, quando quis studio ignorat, aut ignorare intendit, quod scire posset, & deberet, ut sic liberius, & sine remorsu conscientia agat. Hæc posterior juxta S. Thomam directè est voluntaria; prior indirectè. Not. autem, sicut negligentia potest esse major, & minor, sic ignorantiam crassam etiam suos habere gradus.

1795 Ignorantia præterea dividitur in antecedentem, concomitantem, & consequentem. *Antecedens* est, quæ est causa facti, quæ scilicet non posita, actus malus non fieret; *Concomitans* est, quæ ita est conjuncta cum actu, ut esto non adesset, actus nihilominus fieret: *Consequens*, quæ est voluntaria, seu directè, seu indirectè; his præmissis:

1796 Quæres 1. an ignorantia invincibilis de præcepto, & jure, excuset à censura? R. affirmativè: patet 1. ex c. *ut animarum*, de constitut. in 6. ubi Bonifacius VIII. expressè decernit, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, dum tamen eorum ignorantia *crassa* non fuerit, aut *supina*, 2. Quia talis ignorantia tollit voluntarium; ergo & culpam, ergo etiam per n. 1792. censuram. Et hæc ratio probat universaliter de omni ignorantia juris Canonici, vel præcepti, si inculcata sit, etiam cum peccatum scitur esse contra legem naturalem, vel divinam; modo invincibiliter ignoretur esse *contra legem Ecclesiasticam*; sic enim respectu ejus non committitur contumacia; sic etiam Quintanaduenastr. 9. sing. 6. n. 4.

1797 Quæres 2. An ignorantia invincibilis so-

lius poenæ v.g. censuræ, excuset à censura, licet adsit notitia juris & facti? Negat Covar. & alii. Alii probabilius affirmant, etiam de omni poena juris. Ratio est 1. quia ex c. *ut animarum*, cit. ignorantes non ligantur sententiis. 2. Quia censura nulla est, ubi subditus non monetur sub comminatione censuræ ex dict. supr. Sic enim non est contumax, sed licet adsit notitia præcepti, si absit notitia censuræ, subditus non monetur comminatione censuræ; ergo. Unde licet hoc fortasse non sit in aliis poenis; est tamen in censuris, quæ requirunt specialem inobedientiam & contumaciam, ut aliqui volunt; quamvis rectius videatur, nec admittendum in aliis poenis, ut diximus alibi, quod verò quandoque puniantur ignorantes in foro externo, est ex præsumptione, quòd habuerint notitiam.

Quæres 3. an excuset à censura invincibilis ignorantia facti? R. affirmativè, sive ignorans det operam rei licitæ, seu illicitæ, Leander q. 8. & 9. Sayrus de cens. l. 1. c. 18. n. 19. quem citat & sequitur Beatus cit. n. 29. Talis enim ignorantia excusat à culpa; ergo etiam à poena tali culpæ statuta. Idem est, si quis invincibiliter ignoret qualitatem facti, vel culpæ; hinc si quis percutiat Clericum, invincibiliter ignorans esse Clericum, non incurrit censuram, ex c. *Si verè*, 4. de sent. excom. ibi: *dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit*; talis enim ignorantia excusat culpam à Sacrilegio. Hinc bene notat P. Nicolaus Baldellus Theol. mor. l. 1. D. 2. n. 16. censuram solum incurri per contumaciam & inobedientiam ad claves Ecclesiæ. Et hac de causa omnino requiritur, ut hæc etiam circumstantia sit specialiter cognita, quòd Ecclesia ex potestate clavium, & sub poena censuræ, hoc vel illud præcipiat, aut prohibeat, & hæc non cognita, non est, quòd aliquis timeat de censura, sic ille.

Quæ diximus de ignorantia invincibili, intelligenda sunt non solum de antecedente, sed etiam concomitante, idque tam de ignorantia juris, quàm facti, Suarez de cens. D. 4. S. 8. n. 8. Vasq. Molin. Henriquez, Sanchez, & alii, quos citat, & sequitur Beatus cit. n. 30. Pro concomitanti ratio est, quia quamvis cum illa stet pravus affectus (v. g. percutiendi Clericum) hic tamen affectus non influit in percussione Clerici, cum ut talis non sit cognitus, ac proinde non communicat actui



externo rationem Sacrilegii, ergo nec incurritur censura imposita *propter Sacrilegium externum*, ita illi. Idem etiam valet de ignorantia tantum venialiter culpabili per Ordinem ad censuras, quæ supponunt peccatum mortale; ita Beatus n. 31. Basilius hic n. 20. Dubitatur autem, an si percutias laicum, existimans esse Clericum, incidas in censuram? Glossa in c. *Si verò* cit. de sent. excom. V. *ignoraverit*, affirmat apud Leandrum q. 13. qui probabilius negat cum aliis; nam censura non fertur propter errorem conscientie, sed ob realem percussorem Clerici, quæ in præfenti abest.

1800 Quæres 4. an, & quando ignorantia vincibilis excuset à censura? R. quod vincibilis ignorantia sive juris, sive facti, etiam mortaliter culpabilis, excuset à censura, modò non sit supina, & crassa. Ratio est ex c. 2. de constitut. in 6. ubi dicitur, quod ignorantia, quæ non est crassa, aut supina, excuset à quibuscunque sententiis Ordinariorum quorumcunque; non omnis autem ignorantia mortaliter culpabilis, efficit ignorantiam supinam, & crassam, quod supponere videtur Suarez D. 4. S. 10. n. 10. qui est in sententia contraria. Complures verò docent, eam solum ignorantiam esse crassam, & supinam, quæ ex malitia, & nimia negligentia procedit. Ubi etiam nota, ex Castropalao D. 1. p. 8. n. 7. in dict. c. nomine *Ordinariorum* etiam intelligi Pontificem, qui vel maxime est Ordinarius, præsertim cum pro eodem militet ratio, ex qua procedit dictum capitulum, & hanc sententiam censet Leander q. 15. probabilem sed probabiliorem oppositam.

1801 Unde ulterius sequitur, quod nulla ignorantia supina, vel crassa excuset à censura, sive sit antecedens, sive concomitans, ut patet ex c. *ut animarum* cit. et si alii hoc negant de ignorantia supina, vel crassa, si sit antecedens. Tum enim delinquens non videtur contumax, quia non fecisset malum, si scivisset illi annexam censuram: sed capitulum, ut *animarum* sine distinctione loquitur; alias enim istorum sententia non incongrua videtur. Si tamen censura foret solum contra eos, qui *scienter* id fecerint, vel qui *presumpserint*, &c. excuset probabiliter etiam ignorantia affectata, supina, & crassa; quia reverà tales, qui cum simili ignorantia peccant, non peccant *scienter*, nimirum cum qua-

dam temeritate &c. Hinc quando Doctores communiter dicunt: *scire, & debere scire, idem esse*: intellige per ordinem ad transgressionem præcepti, & tunc solum, quando talis ignorantia est verè culpabilis secundum dicta n. 1794. cum verò dicitur, *quod ignorantia facti, non juris, excuset à culpa*; intellige, quod non excuset in foro externo, ubi præsumitur, quod nemo ignoret legem à Principe latam, saltem eam, quæ est juris clari.

Quæstio est 2. an, & qualiter metus excuset à censura? Metus est timor mali impendentis. Hinc illud ex metu fieri dicitur, quod quis facit talis mali declinandi causâ, alioquin non acturus; Sic Escobar in Theol. mor. principiis, Exam. 2. c. 7. n. 9. Metus alius est justus, qui etiam dicitur probabilis, gravis, & cadens in constantem virum; alius injustus, qui vocatur levis, vanus, & cadens in virum inconstantem. Tunc autem metus dicitur justus, & gravis, quando in eo, in quem cadit, laudem fortitudinis, & constantiam non minuit. Talis est timor mortis, mutilationis, longi carceris, diuturni exilii, servitutis, jacturæ honoris, omnium bonorum, aut opum, aut partis notabilis, infamiae, quæ facile purgari non possit, &c. Et hoc non tantum, cum ea mala quis timet sibi, sed etiam, cum ea timet filiis, parentibus, uxori, arctissimis amicis; horum enim mala, nostra reputamus. Talis etiam est, quo filius timet offensam Patris; pupillus, tutoris; subditus, Principis; Monachus, Abbatis; uxor, viri; Clericus, Episcopi. Not. tamen, ut metus factum alioquin illicitum excuset, necesse esse, ut sit majoris mali, quàm sit illud, quod metus causâ suscipitur; ita Escobar cit. Beatus, de quo infra.

Metus autem dicitur injustus. 1. Quando est minoris mali, quàm sit id, quod metus causâ suscipitur; vel certe, si sit ob malum non contentum, vel simile prioribus. Vis demum, & coactio stricte sumuntur, cum membris exterioribus repugnante voluntate afferuntur, minus stricte, cum afferunt metum alicujus mali, ob quem actio fit, alioquin non futura. Ex his nota cum Escobar cit. c. 2. quod vis absoluta tollat voluntarium, nec, quod ex illa committitur, imputetur ad culpam; ignorantia antecedens tollat voluntarium; comitans autem illud auferat tantum nega-



tivè; quia tollit necessariam cognitionem, non efficit involuntariam. Metus relinquit voluntarium simpliciter, & tollit voluntarium secundum quid; ita ille, quibus positus:

1804 Not. ex Gabriele Beato qq. mor. q. 39. n. 13. & seq. quod metus probabilis, & iustus regulariter excuset à peccato contra jus positivum humanum; non quod faciat actum involuntarium; sed quod lex positiva humana tunc suspendat suam obligationem. Non enim videtur velle obligare cum tanto periculo. Nam tali casu, cum factum sit valde difficile, censetur moraliter impossibile, atque adeo non est materia legis humanæ. Excipe, nisi res esset valde necessaria bono communi, ut proinde huius utilitas praeponderet alterius malo. Hæc omnino vera existimo; cum actio lege positivâ humanâ vçrita, non est aliunde mala: his præmissis:

1805 Dicendum, quod iustus, & gravis metus toties excuset à censura, quoties excuset à peccato, quod ejusmodi censura requirit. Tunc enim abest materia proxima censuræ, scilicet peccatum; ita Beatus cit. n. 12. Castropal. D. 1. de cens. p. 8. n. 10. Unde quando in c. *Saceris* de his, quæ vi, metusve causâ fiunt, Pontifex inquit, communicantem cum excommunicato, per vim, seu coactionem inductum, excusari; secus verò per metum: sensus est, quod vis, & coactio absoluta semper excuset à censura, quia tollunt libertatem, atque adeo culpam; at metus, cum relinquat voluntarium simpliciter, nec semper adversus jus Ecclesiasticum à culpa liberet, non semper liberet à censura, sed tantum quoties liberat à culpa; ita Suarez D. 6. S. 3. Coninch D. 12. n. 97. Layman l. 1. Sum. tr. 5. p. 1. c. 5. in fine apud Castropalaum cit. n. 10.

1806 Si petas, an, si Ecclesia prohibeat aliquid sub censura, quod est veritum etiam lege naturali, & divina, incidas in censuram tali delicto annexam, sin illud committas ex iusto, gravique metu? Coninch D. 13. d. 12. concl. 2. negat; quia metus excusat ab observatione præcepti Ecclesiastici, atque adeo à culpa & contumacia respectu Ecclesiæ. Gaspar Hurrado autem, quem citat, & sequitur Castropalaus n. 11. affirmat; quia tunc præceptum Ecclesiasticum nihil præcipit, quod secluso tali præcepto agere, vel omittere posses licitè. Addit

tamen Castropalaus, si præceptum Ecclesiasticum prohiberet circumstantiam, aliàs non vitam, licet substantia actus foret contra legem divinam, & actum in ea circumstantia, cui annectitur censura, faceres ex metu gravi, te liberum fore à censura; pro negativa stat etiam valde probabiliter Suarez; quia tunc non peccat in Ecclesiæ.

Quæstio est 3. an dubium excuset à 1807 censura? R. si dubium habeas an te debeas reputare censurâ ligatum? respondeo, quod non, si sufficientem diligentiam adhibuisti deponendi dubium. Nam per dubium superveniens nemo privati debet certo jure per baptismum accepto in participationem bonorum communium Ecclesiæ; Sanchez l. 1. in decal. c. 10. n. 56. quem citat, & sequitur Castropalaus n. 8. Si autem petas an debeas te reputare censurâ ligatum, si certus sis, latam esse censuram, sed dubitas, an serio? R. affirmative; debes enim præsumere, quod verba secundum communem intellectum prolata non joco prolata sint, præsertim in re gravi, qualis est censura; ita Sanchez n. 57. Et ideo etiam in quæstione, an si certus sis te incurrisse censuram, sed dubius, an absolutus sis, debeas te reputare in censura esse? R. affirmative; quia certa possessio censuræ non evertitur per dubium superveniens, ex c. *sicut*, de sent. excom. Idem est, si dubites, an appellationem censuræ præmiseris, vel legitime appellaris ex c. *Cum tu*, de testibus, & attestationibus, Castropal. cit. n. 8.

Quæstio est 4. an innocentia excuset à 1808 censura? R. in hac quæstione certum esse, quod verè innocens, excusetur in conscientia à censura; tum enim deficit materia censuræ, nimirum culpa. Hinc licet tali casu Judex in te ferret censuram, nulla foret; quia contineret intolerabilem errorem, ex c. *solet*, & c. *Venerabilibus*, §. *Potest*, de sent. excom. in 6. junct. c. *Irritum*, & c. *Cui est*, 11. q. 3. Similiter licet verè deliqueris, si tamen delictum exterius probatum non sit, non potes censurâ affici. Judex enim censuram ferre non potest ex privata scientia, sed publicâ, cum sit actus iudicii publici & forensis; ita Castropal. cit. ex Navar. in c. *Cum contingat*, de foro compet. de octava causa nullitatis.

Quæri tamen potest, an censurâ lige- 1809 ris, quando es in re innocens, sed secun-



dum allegata & probata demonstratis nocens? affirmant Glossa, Durandus, & Corduba apud Castropalaum n. 13. Negant Cajetanus, Sotus, & alii ibid. 18. mihi probabilior videri negativam; quam etiam sequitur Castropal. cit. n. 15. quia revera alienum est à mente Ecclesie sub censuris cogere innocentem in re; si tamen Judex aliquid præciperet, v. g. ut solvas debitum, ad quod probaris judicialiter obligatus esse, licet in re non sit, & sine scandalo non posset prætermitti obedientia, deberes parere; si tamen non pareres, censuram quidem non incurreres, sed peccares contra legem naturalem, quâ jubemur parere Judici, legitime, hoc est, secundum allegata, & probata præcipienti, si res aliunde iniqua non sit. Non verò teneris, si res foret iniqua v. g. si præciperet accedere ad fornicam, quæ probatur juridicè esse tua; tu tamen certò nosti non esse tuam; hæc Castropal. n. 25.

1810 Ex hoc etiam sequitur, quòd obligatio abstinendi in publico ab actibus, quos interdicit censura lata in taliter innocentem, solum proveniat ex lege naturali, de non contemnenda publica potestate justè (scilicet secundum allegata & probata) ac juridicè præcipienti: Cæterum occultè non teneris abstinere. Hinc si in tali censura Sacerdos celebraret, non fieret irregularis; hi enim effectus annectuntur censuræ vera, non apparenti. Suarez D. 4. S. 7. n. 20. Coninch, D. 13. d. 13. conclus. 4. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 6. coroll. 1. Hæc omnia intellige in foro conscientie, nam in foro externo verè reputaris censurâ ligatus. Hinc si collatio beneficii declaratur irrita, verè habebit effectum, non vi censuræ, sed ob commune bonum Ecclesie, ne invalidè alteri conferatur. Suarez, Layman, & alii cum Castropalao n. 16.

1811 Pro solvendis rationibus sententie affirmantis not. 1. dictum S. Gregorii c. 1. & c. Non solum. II. q. 3. quòd etiam injusta sententia Pastoris timenda sit, intelligi de injusta, sed valida; vel quòd non sit cum scandalo vitanda; ita Gratianus in c. Si Episcopus, II. q. 3. 2. Ad sententiam validam non sufficere, quòd Judex justè procedat, sed etiam requiri, ut justum præcipiat; quòd non est in præsentem, cum procedat ex præsumptione falsa. 3. Integritatem judicii sufficienter salvari, si censuram non violet in facie Ecclesie, & hanc posse privare fidelem

bonis communibus spiritualibus, modo Reus probetur, si id necessarium sit ad auctoritatem Ecclesie; quòd non est in præsentem; sufficienter enim provisum est per præceptum naturale, de quo supra.

Inter reliquas causas ab incurfu censurarum excusantes, est error conscientie. Censura enim non imponitur errori conscientie, sed veræ violationi legis; Gibalin. de juridict. sacra, disq. 2. q. 2. n. 15. §. si verò. Secunda causa est, si doleas de peccato, & illud retractes prius, quam sequatur effectus externus, quem supponit censura, ut diximus n. 1703. & seq. Tertio excusat impotentia materialis faciendi, quòd præcipitur sub censura, hæc enim excusat à peccato. Quarto excusat nullitas censuræ. Quinto excusat appellatio facta in tempore, ut habes à n. 1774. Sexto excusat confusio partis, in cujus favorem lata est censura ex dictis; Septimo excusat consuetudo rationabilis præscripta, ex c. fin. de consuetud. Octavo cessatio finis totalis legis, aut præcipui, tunc enim omnis ejus obligatio interit. Denique omnes causæ excusantes à peccato, etiam excusant à censuris.

## ARTICULUS XIII.

### De effectibus censura.

DUO sunt effectus censura; nempe proximi, seu intrinseci; & remoti, seu extrinseci. Effectus proximus est privatio censuratum quibusdam bonis spiritualibus & temporalibus, quæ annexa sunt illis. Hæc privatio consistit in quodam vinculo, seu obligatione, quâ is, qui Reo censuram applicat, obstringit alterum ad abstinendum ab iis bonis. Remotus est ille finis, quem Judex ferens censuram intendit, qui quandoque duplex est: unus spiritualis & essentialis, nimirum observantia disciplinae Ecclesiasticæ, & respicientia contumacis, seu emendatio à delicto; alter temporalis, qui non est semper conjunctus, idque ob priorem finem, nimirum reparatio damni, quòd illatum est innocenti, vel revelatio rei, quam quis novit, &c. quòd plerumque fit, cum feruntur monitoria, seu censura ob hos fines restitutionis, vel revelationis, prout necessarios ad bonum spirituale delinquentis. Nisi enim quis restituat temporale, excommunicari potest juxta Trid. Sess. 25. de form. c. 3. hinc censura ultimatè



timatè fertur, ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini. 1. ad Cor. 5.

1814 Quæstio igitur est 1. an censura statim obliget? *z.* quòd Lutherus, damnatus à Leone X. (ut refert Gibalinus de sacra juridict. disq. 1. q. 4. n. 3.) existimavit, censuram non habere effectum in foro interno, nec obligare in conscientia; sed tantum in externo. Ad contrarium omnino tendendum est cum communi. Hoc enim Ecclesia facere potest, & sic eam facere, sufficienter constat de ejus mente; cum graviter puniat non abstinentes ab iis actibus, à quibus quis per censuram prohibetur. Statim autem, ac Reus censuram incurrit, rerum spiritualium usu privatur, etiam ante Judicis sententiam condemnatoriam, ubi ipso jure lata est. Nam censura lata per se fert executionem, *c. Pastoralis*, 53. *S. Verum*, de appell. ubi excommunicatio, quæ semel vires sumpsit, executionem habet etiam ad denuntiationem, licet ante denuntiationem contra illam appelletur; & colligitur etiam ex *c. Is, cui*, 20. de sent. excom. in 6. Ratio autem est, quia talis obligatio, si non est formaliter ipsa censura, saltem est proprietas censuræ; sic Leander D. 10. q. 2.

1815 Quæstio est 2. an effectus censuræ sint perpetui? *z.* esse perpetuos negativè, cum non habeant certum sibi tempus præfixum; non positivè; statim enim, ac Reus contumaciam deponit, & satisfactionem præbet, censura tolli debet per absolutionem; ita Suarez, Filliuc. & communis. Hos effectus producit non solum censura publica, sed etiam occulta: sequuntur enim ex natura censuræ. Nam denuntiatio nihil novi facit quoad censuratum; sed tantum quoad alios circa ipsum, ut habetur in Extravag. Martini V. in Concilio Constant. *ad evitanda*. Hinc etiam not. per appellationem non suspendi effectum censuræ absolute latæ, seu quæ vires sumpsit; uti probatur multo jure, cit. *c. Pastoralis*, *S. Verum*, de appell. & *c. Adhæc*, eod. *c. ad reprehimendum*, de offic. ordin. *c. Is, cui*, *S. ult.* de sent. excom. in 6. ita Suarez D. 6. S. 4. n. 1. & alii.

1816 Quæstio est 3. an manente censurâ, effectus ejus suspendi possint per Papam? Pannonitanus, & alii Canonistæ in *c. Nulli*, de sent. excom. arbitrantur, non posse Pontificem alicui concedere privilegium, ut communicet cum excommunicatis ma-

jori excommunicatione; Leander q. 7. censet, posse Pontificem dispensare, utis, qui censurâ affectus est, licitè exerceat actus per censuram vetitos; hanc enim prohibitionem ait esse tantum de jure humano; citatque pro se P. Suarez, Filliucium, & alios. In hac re existimo primò, effectum formalem censuræ, cum ponitur hæc forma in subiecto capaci, à nullo esse impedibilem; implicat enim formam esse debitè unitam subiecto proximè capaci, & non dare effectum formalem. Existimo 2. si censura consistat formaliter in obligatione non utendi rebus spiritualibus, quibus privatur; non posse etiam per Pontificem tolli ejus effectum formalem, seu fieri licitas operationes à censura vetitas, stante censurâ. Sic enim staret obligatio non utendi. Cæterum existimo reliquos effectus, qui non fluunt immediatè & formaliter ab obligatione prohibente, posse suspendi per Pontificem, is enim potest dispensare in jure Canonico.

Quæstio est 4. an dicti effectus suspendi possint per inferiorem Pontificem? *z.* affirmari à nonnullis Canonistis apud Leandrum cit. q. 8. quia Episcopi possunt dispensare in omnibus, in quibus Papa, nisi sit illis prohibitum; sed hanc dispensationem nullibi legimus prohibitam; ergo; ita illi: alii tamen negant, etiam in effectibus censuræ, quam tulerunt ipsi Episcopi; non enim possunt dispensare in rebus jure communi, & universa ab Ecclesia prohibitis, nisi quando jure communi, vel aliquâ receptâ consuetudine aut traditione illius conceditur, *c. dilectus*, de tempor. Ord. & *c. At si Clerici*, *S. de adulteriis*, de Judicibus.

Mihi videtur, effectum remotum censuræ, cum sit in libertate censurati, ab eodem, etiam stante censurâ, impediri posse. 2. Reliquos effectus censuræ impediri probabiliter (atque adeo ipsam etiam obligationem) si magnum inde commodum proveniat v. g. si populus aliàs in celebri festo privaretur missâ &c. quod etiam existimo, si censuratus gravi metu, vi, coactione, & similibus induceretur ad aliquem actum cæteroquin per censuram prohibitum. Hinc etiam judico, si censura formaliter consistat in sola dignitate subiecti, quam habet ad pœnam, seu obligationem prohibentem usum aliquorum bonorum spiritualium, effectus censuræ (præter formalem imme-



immediatum) posse à solo Pontifice suspendi. Is enim solus dispensare potest in jure communi, & iis, quæ statuta sunt ab universali Ecclesia; ita Castropal. D. 1. de cens. in communi, p. 8. excipe casum unum, de quo n. 1752. De aliis censurarum effectibus magis constabit, cum agemus de singulis in particulari; ubi etiam dicemus, quando incurrat irregularitatem, qui censuram violat.

## ARTICULUS XIV.

*De absoluteione à censura.*

1819 **A**bsoluteio à censura hic aliud non significat, quàm actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, per quem dissolvitur vinculum censure, quo quis per eandem potestatem ob delictum aliquod ligatus erat. De hac igitur in præsentem, quantum requiritur pro notitia censurarum in communi. Illud nota, ex eo, quòd quis per rescriptum absolvatur ab una excommunicatione, cujus mentionem fecit, alià tacitâ ex alia causa; cum non censi absoluteio ab hac, c. *Cum pro causa*, 27. h. t.

1820 **Q**uæres 1. an censura tollatur morte censurati? **R.** 1. censuram, quâ parte ligat alios fideles, defacto non tolli morte censurati. Sic enim, cum quis in excommunicatione majori decedit, adhuc obligatur vivi cum non sepelire Ecclesiasticâ sepulturâ, ut constabit ex dicendis in seqq. Deinde **R.** 2. quâ parte ligabat ipsum censuratum, non tolli, nisi per tacitam absoluteionem Ecclesiasticâ; ratio est, quia non minus solvere, quàm ligare pertinet ad actus jurisdictionis Ecclesiasticæ; ergo actus solvendi sine tali potestate nequit exerceri. Cum ergo Ecclesia sæpius hunc actum non exerceat formaliter; & explicitè quoad morientes, qui in censura sunt; exercebit illum tacitè, & virtualiter. Ex hoc sequitur censuram, quâ parte ligat censuratum, directè definire morte censurati, sed non sine omni absoluteione. Cum enim defunctus directè non subsit potestati Ecclesiasticæ, præsumi debet, quòd cum Ecclesia non velit ligare, ultra tempus vitæ, consequenter pro morte liberet à vinculo censure. Hinc omnino existimo, hanc obligationem posse simpliciter expirare, sine omni directâ absoluteione (licet defacto non contingat) morte censurati; cum ut talis non sit subiectum capax directè obligari.

Confirmari hæc possunt ex c. à nobis, 28. de sent. excommunic. ubi Innocentio III. ab Abbate S. Andreæ quæstio proposita fuit, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint poenitentia manifesta; nec per eum steterit, quo minus reconciliaretur Ecclesiasticæ disciplinæ unitati, non suscepto beneficio absoluteionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus; & utrum pro tali sit recipienda elemosyna, & à fidelibus sit orandum; rescripsit Pontifex in hæc verba, cum ex sola culpa ligetur quis quoad DEum apud triumphantem Ecclesiam; ex sola verò sententia ligetur quoad hominem apud Ecclesiam militantem, quando vinculum culpæ remittitur, absolvitur apud DEum, sed apud homines non absolvitur, nisi quando vinculum sententiæ relaxatur, alioquin Ecclesiæ absoluteio nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis contritione præter sacerdotale officium rigor relaxetur disciplinæ Ecclesiasticæ. Nos, ergo consult. tuæ de consilio fratrum nostrorum breviter respondemus, quòd iudicium DEI, veritati (quæ nec fallit, nec fallitur) semper innititur; iudicium autem Ecclesiæ nunquam opinionem sequitur, *quam & fallere sæpe contingit, & falli*: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud DEum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud DEum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus: Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud DEum, in culpa remissionem dissolvitur; illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententiæ remittitur, & relaxatur.

Concludit Pontifex dicens: unde ipsi quantumcunque se dictus vir juramento præstito, quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit; quantumcunque poenitentia signa præcesserint: *quia tamen morte præventus absoluteionis non potuit beneficium obtinere*, quamvis absoluteus apud DEum fuisse credatur, *nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absoluteus*: potest tamen, & debet beneficio ei Ecclesiæ subveniri, sic, ut cum de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, *defuncto etiam absoluteionis beneficium impendatur*. Ac tandem ipse proponit, quod objici posset, & respondet: nec obstat, quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere, & ligare sub terra sepultos:



pultos: & quod legitur: Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo; cum est communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contempnus religionis, sed necessitatis articulus impedit: & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legitur Ecclesia mortuos, & soluisse.

1823 Quæres 2. an censura desinat positâ emendatione Rei? R. censuram non tolli per emendationem Rei, nisi lata sit sub conditione; quàm diu non satisfeceris. Primam partem tenet Leander D. 11. q. 2. cum communi. Secundam Castropalauius cit. n. 4. p. 11. quia tali casu cum eo præcepto simul tacite datur absolutio sub ea conditione de futuro. Ratio autem primæ partis est, quia censura fuit Reo applicata per Ecclesiasticam jurisdictionem; ergo per eandem solum tolli potest, quàm diu subiectum est capax subiectionis; & habetur in c. Cum desideres, 15. de sent. excom. ubi Pontifex quærenti, *urum alicui excommunicato, qui mandato Ecclesie stare iuravit, & ante absolutionem Episcopus ei communionem reddidit, sit communicandum ab aliis; & an Episcopus id facere debeat?* rescripsit: quod, cum cautio iuratoria, quam hodie, qui excommunicati sunt, præstant, potius ad cautelam ex consuetudine Ecclesie, quàm ex rigore Canonum sit inducta, neque momenti tam validi reputetur, ut nisi absolutionis beneficium subsequatur, ille, qui excommunicatur; debeat communioni aliorum restitui, præsertim cum ex eo iuramento absolutionem consecutus non sit, & constet cum excommunicatum fuisset, & verum sit, absolutum non esse; non potest Episcopus, nec debet ei communionem dare; neque aliis eadem communicare, nisi fuerit secundum formam Ecclesiasticam post iuramentum præstitum absolutus.

1824 Idem dicitur in c. Sacris, 38. eod. ubi Pontifex rescribens Archi-Episcopo Strigoniensi ait: Licet is, qui voluntarius excommunicatis communicaverat, qui cum omnibus fautoribus suis, & participibus excommunicationis sententiâ sint astricti, ad cor postmodum rediens, de mandato Ecclesie illos, quos foverat, expugnaret; non tamen prius, quàm absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus; nec, si occumbat in bello, oblationes sunt recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ: nisi cum de ipsius viventis pœni-

Tom. V.

tentia per evidentia signa constiterit, juxta cuiusdam constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.

Dices 1. ablatâ causâ aufertur effectus. 1825  
2. censura essentialiter respicit contumaciam; ergo eâ sublatâ, etiam censura tollitur. R. ad 1. antecedens verum esse. 1. de effectus formali, ablatâ causâ formali. 2. De causâ conservante; culpa verò non est causa conservans censuram; licet hæc in fieri ab illa pendeat; & illa sit causa ponendæ censuræ. Ex hoc etiam patet ad 2. licet enim essentialiter supponat contumaciam, ut censura ponatur ab homine; non tamen, ut conservetur, ita habetur in cit. c. Cum desideres, de sent. excom. c. quâ fronte, de appell.

Quæres 3. An censura tollatur morte 1826  
censurantis? R. negativè, si semel contracta sit; Colligitur clarè ex c. Si Episcopus, 11. q. 3. c. Pastoralis, 11. §. Præterea. de offic. ordin. ubi habetur: mortuo delegato Papæ, qui excommunicavit aliquem, non posse ab alio absolvi, quàm à Papa extra mortis articulum, nisi ab ejus Successore in delegatione. Censuræ enim ita institutæ suat, ut licet in fieri, non tamen in conservati pendeant à vita, vel jurisdictione ferentis; hæc enim pœna disponente sic jure durat in potestate subiecto, quousque legitimè tollatur, ex decisione Concilii Sardicensis, relata, c. Si Episcopus, cit. & alibi; ita Coninch D. 14. d. 16. n. 198. Suarez D. 7. S. 1. in princip. & alii apud Castropal. loc. cit. Id etiam nota, esto censuratum censurans per epistolam salutet, per hoc non censi absolvi, c. Si aliquando, 41. h. t. ibi: Si aliquando fortè contigerit, quod eis, qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subiecti, nostra litera cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata. Cum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam subreptionem contingat hujusmodi literas impetrari. Sed excipe, nisi sciens scribat; tunc enim præsumi potest absolvi.

Ex dictis colliges, censuram semel 1827  
contractam per solam absolutionem tolli, loquendo de facto; non enim minus actus solvendi, quàm ligandi est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ; ergo neuter sine illa exercetur. 2. Id clarè definit Clemens III. in c.

Fff

Cum



*Cum desideres*, de sent. excom. prout constat ex textu relato superius. 3. Quia nec tollitur per mortem censurantis, aut censurati, nec per solam Rei emendationem; ergo aliud non restat, quam quod per solam absolutionem; ita communis. Concedo tamen, quamvis censura ex dispositione juris non tollatur sine absolutione, absolute tamen tolli posse sine illa, etiam ex dispositione Pontificis; hoc enim totum penderet à jure humano; id quod verum est non tantum de censura simpliciter lata; sed etiam solum ad tempus; nam & hic intervenit absolutio juris. Hinc semel vitandus, semper vitari debet, dum constat absolutum, c. *sicut*, h. r. excipe, nisi censura fuisset sub conditione, quæ scitur jam impleta. Vide Barbosam, hic, n. 7. qui n. 3. dicit, non bene probari absolutionem per Confessarii schedulam; his præmissis:

1828 Cum autem absolutio in genere sit liberatio ab aliquo vinculo, sive physico, sive morali; & in præsens agatur de absolutione à censura, quæ imponit quoddam morale vinculum illà innodato, resolvendum venit, qualis & quoruplex ea sit. Notandum autem *absolutionem* differre à *revocatione* 1. quia absolutio est à sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, juxta formam Ecclesiæ solemniter: at revocatio est sententia verbis sine solemnitate 2. quia absolutio impenditur, quando censura tenuit: revocatio autem, quando non tenuit, quo posito:

1829 R. dici communiter esse quadruplicem; prima est, quæ fit *ab homine*; altera, quæ *à jure*; prior egreditur immediate ab homine habente potestatem: posterior fit immediate à jure, ut si in lege aliqua reperitur hæc forma: *Qui hoc fecerit, ex tunc sit absolutus*. Secunda est, quæ vel datur *absolute*, vel *sub conditione*, de præsentis, præterito, vel futuro. Conditionata de præsentis, vel præterito esse potest valida: sed nunquam incipiet valere, nisi impletâ conditione: propter non usum Ecclesiæ regulariter non est licita: erit tamen, si probabili necessitate, vel utilitate cohereretur.

1830 Tertia est, quæ fit vel *simpliciter*, vel *ad cautelam*. Illa datur, quando de censura nullo modo dubitatur. Absolutio ad cautelam datur, quando dubium est de valore censuræ, vel præmittitur ante alium actum, cujus valor per censuram impediti

potest. Unde confertur ei (inquit Bellanus D. 14. d. 16. n. 200.) qui non scitur esse excommunicatus, ut si forte sit, ab excommunicatione liberetur: idque vel absolute, & sic communiter præmitti ante absolutionem sacramentalem, vel ad certum tantum effectum, ne v. g. collatio gratiæ sit irrita.

Quarta demum, quæ fit vel *simpliciter*, *ter*, vel *ad reincidentiam*; illa est absoluta, & perpetua: Absolutio ad reincidentiam datur, quando censura non tollitur in perpetuum, sed ut reditura post certum tempus, vel effectum, v. g. post collationem beneficii, quæ non valeret persistente censura. Alio modo (ut docet Suar. D. 7. l. 8. n. 22.) & quidem magis propriè, datur absolutio ad reincidentiam, non ad certum tempus vel actum, sed sub conditione satisfaciendi intra certum tempus, quo transacto, & non impletâ conditione, reincidatur in censuram. Quid operetur clausula (*satisfacta parte*) in concessione portulatis absolvendi: & quid *partis* nomine veniat? declarat late Suarez D. 7. de cens. l. 4. à n. 38.

Ex hoc coll. absolutionem ad reincidentiam fieri dupliciter 1. propriè, cum quis absolvitur ex intentione absolventis à censura in perpetuum; sed cum quodam onere, & conditione, si hoc, vel illud fecerit; si secus, ut reincidat in censuram, 2. impropriè solum, cum scilicet non tollitur censura, sed tantum suspenditur ejus obligatio v. g. quoad unum actum, *ad dicendum testimonium &c.* ad recipiendum beneficium. Hæc absolutio dicitur *ad effectum gratiæ*; quibus positis:

§. I.

*De conditionata absolutione à censura.*

Circa hoc quaestio est, an valeat absolutio à censura sub conditione de futuro? Negativam tenent Sylvester, D. Antoninus, Angelus, Avila apud Leandrum q. 12. Sed probabilius affirmatur, si causa rationabilis subsit; Sic Gibalinus dist. 9. q. 2. Sayrus, Hurtado, Suarez, Layman, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus D. 1. de censur. p. 11. §. 2. n. 2. quia hæc jure naturali, nec positivo irritatur. Deinde censura ferri potest sub conditione de futuro ex c. *Romana*, V. *Caveant*, de sent. excom. in 6. ergo & absolutio ab illa. Quamvis autem hic modus absolvendi stando



stando in rigore juris non sit illicitus, imò cum necessitas, vel utilitas occurrit, adhiberi possit; tamen regulariter loquendo non est usurpandus; quia in Ecclesia defacto hic modus non est in usu; ita Suarez cit.

1834 Dices 1. ex regula juris 50. in 6. actus legitimi non recipiunt conditionem; sed absolutio à censura est actus legitimus; ergo non recipit conditionem. R. hanc regulam sic universaliter prolata recipere multas limitationes ut diximus l. 4. tit 5. à n. 770. Nam contractus matrimonii est actus legitimus, & tamen recipit conditionem. Sensus ergo est, quòd actus legitimi, quibus ex natura sua vel juris dispositione repugnat conditio, vel adjectio diei, vel certi temporis, tamen conditionem non recipiant, quales sunt, qui statim habent executionem; inter hos autem non est absolutio à censura. V. lib. 4. Tit. 5. de Condit. apposit. à n. 760.

1835 Dices 2. alia Sacramenta (excepto matrimonio) invalidè fiunt sub conditione de futuro v. g. absolutio à peccatis; ergo etiam à censuris. R. N. consequ. ita docent Castropal. D. 1. de cens. p. 11. n. 4. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 1. & apud eum Covarruv. Suarez, & alii, concedentes absolutionem censuræ dari posse sub conditione de futuro, quâ positâ, ipso facto, propter annexam absolutionem tacitam, tollatur censura. Ratio autem disparitatis est; quia valor censuræ, sicut omnis concessionis liberæ, atque adeo etiam valor absolutionis à censura, pendet immediatè à libera voluntate concedentis; sic autem concessam esse constat ex dictis textibus; valor autem Sacramentorum immediatè pendet ab institutione Christi, qui ea voluit, extra matrimonium, fieri per verba de præfenti.

§. 2.

De absolutione ad cautelam.

1836 R. Esp. Absolutionem ad cautelam (de qua n. 1830.) si à poenitente petatur in foro interno, concedi posse ad solum ipsius absolvendi testimonium, modo promittat, ubi constiterit, se censurâ ligatum fuisse, quòd satisfaciatur; ita Sayrus, quem ibidem sequitur Castropal. n. 5. Si autem præstetur in foro externo generatim, eò, quòd poenitens nullius in particulari suspicionem habeat, concedi sine cognitione causæ, & datâ cautione; si autem conce-

Tom. V.

datur quoad censuram specialem, tum absolvendus saltem semiplenè probare debet, se illâ censurâ ligatum non fuisse; quòd fieret, si ostenderet, quòd vel contineat errorem intolerabilem causæ; vel lata sit post legitimam appellationem juxta c. solet, c. Venerabilibus, §. potest quoque, de sent. excom. in 6. quæ jam retulimus supra; vel quacunque alia de causâ, ut tradit Innocentius III. in cit. c. solet. quo casu etiam citandus est, ad cujus instantiam censura lata est; vel Judex, qui eam tulit, si processit ex officio. His proponi debet allata ratio, & sin illi opponant manifestam offensam, vel contumaciam, concedendus est terminus octo dierum, ut id probent, & interim abstinetur ab absolutione: Si verò in probatione non subsistant, condemnandi sunt ad expensas factas, & censurandus erit absolvendus; secus, si probaverint intentum; ita cit. c. solet, & docent Covarruv. Ugolinus, Sayrus, &c.

Not. autem 1. quòd absolvendus debeat agere de nullitate censuræ; si enim solum foret illicita, indigeret absolutione simplici 2. hanc absolutionem posse usurpari in omni censura; ita Gibalin. cit. disq. 9. q. 2. n. 8. excipe interdictum generale loci, nisi fortiretur effectus interdicti specialis 3. ut sufficienter probet nullitatem censuræ pro hac absolutione, sufficere, si probet factam ante sententiam; nec requiritur, ut ante absolutionem cognoscatur à Judice ut justè, vel injustè facta. Gibalin. cit. n. 9. §. quoties. Ut autem habeatur probatio semiplena, sufficit unus testis fide dignus; Sic Joannes de Cardenas in Crisi Theol. tr. 1. de probabilitate D. 6. c. 9. a. 5. n. 192.

1838 Quæres, quæ absolutio impendatur in communi absolutione, quam plerique Confessarii præmittunt absolutioni à peccatis? R. quòd absolutio ad cautelam; Si petas, an totalis, vel partialis? R. cum Gibalino D. 9. q. 2. de absolutione totali, quòd totalis, complectens omnes censuras, à quibus ille Confessarius absolvere potest, licet poenitens eas non expresserit. Nec enim Confessarius debet intentionem suam restringere tantum ad unam.

1839 Not. 4. si censura aliqua oblita, post acceptam in Confessione absolutionem à censuris, redeant in memoriam, non esse opus novâ absolutione; quia sublata sunt directè, & non tantum per accidens, in

Fff 2

gene-



generali absolutione; aliud est de peccatis oblitis, quæ solum per accidens, & ob connexionem cum aliis, deleta sunt; ita Suarez D. 7. S. 5. n. 15. apud Gibalin. loc. cit. Si autem poenitens aliquas censuras de industria non manifestavit, & confessarius habens jurisdictionem habet expressum animum absolvendi ab omnibus, à quibus potest, poenitens etiam ab illis absolvitur; Hurtad. D. 15. de excom. diff. 6. quem citat, & sequitur Gibalin. n. 18. Tunc enim ad hanc absolutionem habentur omnia necessaria; neque silentium poenitentis, vel etiam renitentia obest; ita Gibalinus.

1840 Si verò Confessarius non habet expressum animum absolvendi ab omnibus, à quibus validè potest, non absolvitur ab iis, quæ scienter tacet, si censuræ tales sint, quæ postulent, ut Confessarius imponat obligationem satisfaciendi, &c. tunc enim non possit, hoc omisso, Confessarius operari licitè; ac proinde in generali absolutione non potest præsumi, habere intentionem pro alia, quam à qua potest licitè; sic Hurtado, & alii cum Gibalino cit.

## S. 3.

*De absolutione ad reincidentiam.*

1841 Cùm absolutio ad reincidentiam (de qua n. 1831.) fiat vel dum cesset tale impedimentum; vel sub onere & obligatione, ut si præstet hoc, vel illud, secus in censuram reincidat, quæri potest, quando censetur cessare ejusmodi impedimentum? R. pro foro externo id resolvendum arbitrio Judicis juxta Gloss. in Clement. 1. §. *fin.* de poenis; in foro autem conscientie, judicio ipsius absoluti; Glossa, Navar. cum Castropalao. Hoc ramen nota, quòd si quis taliter sit absolutus sub conditione, v. g. ut intra tres dies satisfaciatur, & hanc satisfactionem omittat, quia non potuit hoc tempore satisfacere, probabilius non reincidat in censuram, saltem in conscientia; quia tunc non est inobediens, nec contumax Judici; Layman, Castropalaus, & alii. Quando autem non impletur culpabiliter conditio, sub qua quis absolutus fuit ad reincidentiam, illum reincidere in eandem numero censuram, à qua prius absolutus fuit, docent Suarez, Filliucius, Hurtad. apud Castropal. n. 70. qui cum Navar. Coninch, Henriq. Avila docet, reincidere in novam; quia prior fuit extincta, quoad priorem culpam. Hinc sicut requiri-

turnova culpa, sic erit nova censura. In hoc casu reincidentia pro foro interno non esse opus novæ sententiæ, si quis incidat ipso jure, tener Gibalin. cit. n. 13. in fine; in externo autem opus esse declaratione novæ conditionis culpabiliter non impletæ, quæ in absolutione præcepta fuit. Unde etiam docet, cum esse noviter denuntiandum super hac ipsa reincidentia.

Quæstio est, an, si cui detur hæc absolutio, sub onere, ut intra certum tempus compareat, satisfaciatur, si compareat per Procuratorem? R. affirmari à Cajetano, Navarro & Henriquz apud Castropalaus loc. cit. n. 8. quia quod per alium facis, per reipsum facere videris: sed probabilius negatur cum Castropal. cit. & Ugo. lino; quia in c. *quod de his*, 16. de sent. excom. Clemens III. expressè requirit, ut taliter absolutus *in persona* compareat. Huic autem constitutioni omnino similis est illa Bonifacii VIII. c. *Eos, qui*, 22. de sent. excom. in 6. Textus in hoc c. 22. sic habet: *Eos qui à sententia Canonis, vel hominis (quum ad illum, à quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absoluntur: si cessante postea periculo, vel impedimento hujusmodi se illi, à quo his cessantibus absolvi debeant, quam citò commode poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout iustitia iudicabit: decernimus (ne sic censura illudant Ecclesiastica) in eandem sententiam recidere ipso jure.* Putat tamen Leander q. 20. si taliter absolutus, ut se præsentet, prius satisfaciatur, quam allabatur terminus satisfactioni præfixus, in conscientia non amplius teneri ad eam præsentationem. Tunc enim si satisfecit tantum, quantum tenebatur coram DEO, ait, non tenetur parere Judici. Et videtur deduci ex ipsa mente constitutionis in c. *Eos, qui*; eò quòd ibi propterea exigatur juramentum præstantiæ satisfactionis, quod eà præstita cessat.

Dubitatur autem, an in absolutione, ad effectum gratiæ, tollatur censura, vel tantum obligatio ad illum actum, pro quo conceditur, licitè celebrandum? Castropalaus cit. n. 12. probabilius stat pro parte postrema, nam finis talis absolutionis plus non



non exigit. Hanc absolutionem excommunicato ad effectum dicendi testimonium, quando alia via non potest cognosci veritas, posse dari à quocunque Judice tam ordinario, quam delegato, docet Layman l. 1. Sum. tr. 5. p. 1. c. 7. in fine, apud Castropal. ex c. 2. *Veniens*, de testibus, junct. c. *Præterea*, de offic. delegati: in alio casu existimant nonnulli, à solo Pontifice hanc absolutionem concedi posse, juxta dicta supr. Gibalinus tamen putat dari posse etiam à Legatis Pontificiis, saltem in iis censuris, quas ipsi aliàs laxare possunt. Ex hoc deducit, si Legatus Apostolicus, apponeret clausulam absolutionis ad effectum gratiæ à quibuscunque censuris, etiam Sedi Apostolica reservatis, posse illi merito dari; si verò tantum dicat, à quibuscunque censuris, consulendum esse usum, an hæc verba in præxi etiam reservatas comprehendant?

§. 4.

De modo, & forma absolutionis à censura.

1844 **A**bsolutio à censura in jure non habet præscriptam formam, & ideo ea sufficit, quæ voluntatem absolventis sufficienter declarat, ut si diceret: *ego te absolvo à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*; vel, *ab omni vinculo censurae*. Neque necessarium est, exprimi causam, ob quam est incurta, licet expediat: Præstari proinde potest verbis, vel scripturâ, idque in utroque foro; ita Castropal. cit. n. 3. quamvis Hurtado ibidem doceat, non esse mortale, id facere, etiam aliis signis. Ritus autem absolutionis solennis, quæ datur judicialiter, habetur in Pontificali Romano, & præscribitur c. 28. de sent. excom. hujus intermissio non facit absolutionem invalidam, neque graviter illicitam, nisi aliqua solennis absolutio ad satisfactionem Ecclesiæ requiratur; sic Hurtad. D. 14. de excom. difficult. 4.

1845 Si excommunicatio incurta est ob delictum gravius v. g. Clerici percussorem, incendium, &c. prius, ac detur absolutio, tenetur absolvens sub gravi culpa, exigere juramentum à Reo, quod in simile delictum nolit amplius incidere; ita ferè omnes apud Castropal. n. 4. ex c. *Ex tenore*, 10. de sent. excom. ibi: *sibi que in virtute juramenti præcipias, quod de cætero in Clericum, Monachum, vel alicujus religionis conversum manus non injiciat violentas &c.* quod

etiam habetur in c. *de cætero*, 11. cod. tit. ubi absolvens in necessitate, *se obligare debet*, quod adire velit cum, à quo aliàs extra necessitatem absolvens erat, idque *sub juramento*; secus est, si censura sit incurta ob delictum leve; Henriq. Avila, Coninch, & alii, quos citat & sequitur Castropal. n. 41. nec ad hoc tenentur impuberes. Sylv. Henriq. & alii ibid. ex c. 1. ubi tantum fit mentio *puberum*; & c. *fin.* de sent. excom. ubi nulla fit mentio *juramenti*, cum absolventur *impuberes*. Et in absolutione Monachorum Græcorum sufficit promissio manualis, nec requiritur juramentum iis invitis, c. *Super eo*, 2. § 1. de sent. excom.

Quæ requirantur ex parte absolventis, 1846 dicemus commodius infra; hoc inter cætera necessarium est, ut absolvens non fallatur in causa principali. Si enim absolvens fingeret, se parti læsæ jam satisfecisse &c. absolutio esset per surreptionem, & nulla, c. *Ex parte*, de officio ordin. c. *officii*, de sent. excom. ita Covar. Sayrus, Henriquez, quos citat, & sequitur Castropal. n. 8. excipe nisi absolvens habens potestatem, haberet expressam voluntatem absolvendi ab omni censura, à qua potest validè, ut dixi n. 1839. aliàs enim talis voluntas, utpote non rationabilis præsumi non potest.

Ex parte absolvendi convenienter requiritur petitio absolutionis, quæ tamen sine ea non foret invalida. Hinc etiam invito dari potest; & sicut potest excommunicari absens (v. g. per literas) sic etiam potest absolvi absens, ex c. *de manifesta*, 2. q. 1. c. *quanto*, 2. q. 5. c. *quisquis*, 2. q. 9. ita Sylv. Navar. & Sayr. quos citat, & sequitur Castropal. n. 10. potest etiam fieri medio procuratore habente speciale mandatum petendi absolutionem, ut constat censuratum à contumacia recessisse. Tali autem casu procurator omnia præstare debet, quæ aliàs ipse censuratus, si coram esset. Potest etiam fieri extra forum poenitentia Sacramentalis, ut diximus alibi; Sic Busenbaumb in medulla. l. 7. de cens. dub. 6. coroll. 8. Joannes Streinius p. 3. juris Canon. tit. 16. §. 11. n. 12. cum Suarez, & Coninch.

Si quæras, an cum conceditur alicui 1848 facultas absolvendi aliquem *pro foro tantum interno*, ea absolutio fieri debeat in Sacramento poenitentia? *iv.* negativè ex dict. lib.

Fff 3

4. de.



4. decretalium à n. 2336. quamvis autem absolutio à censuris, per metum gravem injustè incussum ad eam extorquendam, juxta Tambur. l. 1. in decal. c. 2. §. 5. n. 24. ex se valida sit; tamen, quia invalidata est ab Ecclesia, c. unico, de iis, qua vi, in 6. nulliter ex tali metu confertur. Absolutus autem in foro interno (nisi fuerit nominatim denunciatus) non tenetur se foris gerere tanquam excommunicatum; præsertim si constet, sic esse absolutum; illa enim absolutio valet ad omnia, præterquam in judicio, ubi lis movetur. Lessius in Auctario, V. Absolutio, casu 8. n. 18.

1849 Præter hæc not. quòd impubes, qui percussit clericum, absolvatur ab Episcopo, c. *Super eo*, de sent. excom. Monachos se invicem percutientes in Claustro (idem est de Canonicis Regularibus) absolvat Abbas; & in hujus defectu Episcopus, c. *Monachi*, cod. ubi adverte, quòd ly in *claustris* non restringat: sed significet tantum, quod sapius sit, ut notat Barbosa hic n. 4. Si autem Abbas sit percussor sui Monachi, absolvit eum Confessarius electus.

## PARS II

### De Excommunicatione.

1850 **I**nter censuras in particulari excommunicatio primum locum habet; est enim inter omnes poena gravissima. De hac præmissis iis, quæ omnibus censuris communia sunt, dicemus jam illa, quæ huic propria sunt, potissimumque sita in effectibus eius, sanè copiosis, & gravibus. Multipliciter in jure solet nominari *excommunicatio*. Nam vocatur *Distinctio* Ecclesiasticæ censuræ, prout habetur c. 1. de offic. vicar. in 6. Dicitur *abominatio*, & excommunicatus abominatus sæpè apud Alciatum, ut notat Alex. Scot. V. cod. Dicitur *subtrahitio gratiæ Apostolicæ Sedis* in c. *qua sedem*, de offic. Ordin. Appellatur *censura divina* à Tertulliano in Apolog. advertit gentes c. 39. Item *censura Ecclesiastica* ab Innocent. III. in c. *Nuncios*, de Decimis. Rectè autem censuræ nomen in illam quadrat, utpote poenam, quæ hominum contumacia reprimatur; sicut olim reprimebatur apud Romanos censorio munere. Dicitur *Mors* à Cypriano l. 1. Epist. 11. & à jure c. *Abst* 11. q. 3. & c. *per venerabilem*, §. *Sunt autem*, qui filii sint legitimi, Quia sicut mortuus vitæ hujus fructibus caret,

ita excommunicatus spiritualis vitæ fructibus privatus est. Vocatur *Medicina* à S. Augustino hom. 50. c. 12. & refertur c. *multi*, 2. q. 1. quia ad eum finem proferri debet, ut corrigat, & sanet, juxta Apóst. 1. Corinthi. 5. *Ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini.*

Præterea nuncupatur *Muro Episcopii* à Joanne Papa, c. *Viss*, 16. q. 2. quia (ut inquit Cyprianus lib. 1. Epist. 11. alias epist. 62. ad Pomponium) spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. *Virga ferrea* dicitur à S. Hieronymo Epist. 58. quia nulla alia censura aquè atque excommunicatio superbiam comprimit & confringit. *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ* à Clem. V. in Clement. 1. de sent. excom. & Innocent. III. quia sicut nervis membra corporis ligantur, & stringuntur, ut munia sua obeant, sic fideles hæc censurâ in suo officio continentur. *Maxima omnium poenarum* dicitur à S. Augustino de Corrept. & gratia c. 15. & refertur c. *Corripiantur* 24. q. 3. Quia in c. *Cum non ab homine*, de judic. Celestinus III. ait: Ecclesiam post *anathema* latum non habere ultra quid faciat. Constat etiam ex c. *omnis Christianus*, 11. q. 3. ubi ponuntur hæc verba: *Omnia Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathana traditur, quomodo: scilicet quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus*: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur; Sic Pereyra in Elucidario à n. 1730.

## ARTICULUS I

*Quid, & quotuplex sit excommunicatio?*

**E**scobar Theol. mor. tr. 4. Exam. 2. c. 1. 1851 definit eam, dicendo *esse censuram Ecclesiasticam, quæ homo baptizatus privatur spiritualibus bonis, & communicatione civitatis*; Gibalinus disq. 1. q. 2. n. 2. ait, *esse censuram, quæ hominem privet communione fidelium*, idem sentiente P. Suarez D. 8. hic, sect. 1. Mihi placet definitio secunda. Nam prior non videtur excommunicationi minori convenire. Est autem triplex *communio fidelium* 1. *purè interna*, quam habent fideles, ut sunt membra ejusdem corporis mystici sub Christo capite, in quo per fidem, & charitatem uniantur, ratione hujus unionis habent, quòd unus alteri applicare possit ex congruo specialia beneficia;



ARTICULUS X.

De servandis post latam censuram.

1764 **E**xpeditis illis, quæ pertinent ad observationem tum eorum, quæ antequam censura feratur; tum in ea ferenda servari debent; agendum etiam de iis, quæ attendi debent post censuram latam, ut sunt denuntiatio, & appellatio; de his igitur in præsens.

§. 1.

De Denuntiatione.

1765 **D**enuntiatio est ipsius poenæ, seu censure executio, seu publicatio; hac enim posita nanciscitur censura suum ultimum finem; non sumitur proinde hic pro accusatione, vel delatione subditi apud Superiorem, de qua latè alibi agitur, quo posito: Quæres 1. an post latam sententiam, debeat necessariò sequi denuntiatio? affirmat Leander tr. 1. de cens. in communi, D. 7. q. 1. & de excommunicatione probat ex decreto Honorii Papæ, in c. *Cura*, II. q. 3. c. *pervenit* I. c. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appellationibus, c. *Parochianos* & c. *conquesti*, de sent. excom. De interdicto habetur in Clement. ult. de censibus. De suspensione in Clement. 2. de poenis: sed hoc limitari debet, ut non intelligatur de omni censura, sed solum de censura lata contra particularem, & determinatam personam à iudice, post trinam vel formaliter, vel virtualiter talem, canonicam monitionem; & de huius executione loquitur c. *Cura*, ibi: *Cura sit omnibus Episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam Episcopis vicinis, quam suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesie cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis, ubique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.*

1766 Sed nota ly *cura sit*. Nam hæc verba præcisè non important necessitatem præcepti. Deinde in c. *Pastoralis* cit. solum dicitur, denuntiare *potes*, licet excommunicatus appellet ab excommunicatione, quæ jam prius sumpsit vires. Unde ex his duobus textibus non rectè assertum suum probat Leander; secus tamen ex c. *Parochianos*, 9. de sent. excom. ibi: *Parochianos vestros, si qui in Monachos, vel Conver-*

*fos præfati ordinis violentas manus iniecerint: sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti excommunicatos publicè nuntietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec clæsis congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent. Ubi sermo est de percussoribus Monachorum, & Converterum ejusdem ordinis. Idem habetur c. *Conquesti*, 22. eod. ibi: quoniam igitur hæc gravia sunt, nec clausis debent oculis pertransiri, mandamus, quatenus si ita est, memoratos sacrilegos publicè accensis candelis, app. cess. excommunicatos denuntietis, & faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec passis injuriam congruè satisfaciant, & illata damna data refarciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus se Sedis Apostolicæ conspectui repræsentent. Loquitur ibi de his, qui Ecclesias violenter fregerunt, easque spoliarunt, & homines earum deprædari nullatenus dubitarunt.*

Quando verò censura incurritur ipso 1767 facto, non tenetur Episcopus Reum denuntiare; quia censura tunc non lata iudicè; excipe nisi pars instaret pro plena executione talis poenæ; tunc enim Iudex non posset denuntiationem recusare. Ad idem tenetur in certis aliis casibus à jure præscriptis. 1. in Clement. 1. de poenis, de eo, qui capit Episcopum 2. in Clem. 2. de iis, qui capiunt viros Ecclesiasticos, ut renuntient suis beneficiis. 3. in Extravag. unica de furtis, de iis, qui furripiunt bona Ecclesiæ. 4. c. *Parochianos* de sent. excom. de iis, qui manus violentas iniecerunt in Monachos. Ex hoc autem patet, sententiam Leandri, de qua n. 1765, nimis universalem esse.

Denuntiationem semper esse faciendam à legitimo Superiore, seu de ejus auctoritate, negat Geminianus, & Ugolinus apud Leandrum q. 4. saltem tunc, cum delictum est adeo clarum, & publicum, ut nullà tergiversatione celari possit; sed rectius affirmat Leander q. 4. & apud eum Suarez D. 3. S. 13. n. 7. & 8. Filliucius, Bonacina, & alii; quia denuntiatio est executio censure, & consequenter actus potestatis coercitivæ, qui pertinet ad legitimum Superiorem, vel ejus delegatum. Quando censura incurta, fuit lata ab homine, denuntiatio primò & per se fieri debet ab eo, qui censuram tulit. Nam ad ipsum per-



4. decretalium à n. 2336. quamvis autem absolutio à censuris, per metum gravem injustè incussum ad eam extorquendam, juxta Tambur. l. 1. in decal. c. 2. §. 5. n. 24. ex se valida sit; tamen, quia invalidata est ab Ecclesia, c. unico, de iis, qua vi, in 6. nulliter ex tali metu confertur. Absolutus autem in foro interno (nisi fuerit nominatim denunciatus) non tenetur se foris gerere tanquam excommunicatum; præsertim si constet, sic esse absolutum; illa enim absolutio valet ad omnia, præterquam in judicio, ubi lis movetur. Lessius in Auctario, V. Absolutio, casu 8. n. 18.

1849 Præter hæc not. quòd impubes, qui percussit clericum, absolvatur ab Episcopo, c. *Super eo*, de sent. excom. Monachos se invicem percutientes in Claustro (idem est de Canonicis Regularibus) absolvat Abbas; & in hujus defectu Episcopus, c. *Monachi*, cod. ubi adverte, quòd ly in *claustris* non restringat: sed significet tantum, quod sapius sit, ut notat Barbosa hic n. 4. Si autem Abbas sit percussor sui Monachi, absolvit eum Confessarius electus.

## PARS II

### De Excommunicatione.

1850 **I**nter censuras in particulari excommunicatio primum locum habet; est enim inter omnes poena gravissima. De hac præmissis iis, quæ omnibus censuris communia sunt, dicemus jam illa, quæ huic propria sunt, potissimumque sita in effectibus eius, sanè copiosis, & gravibus. Multipliciter in jure solet nominari *excommunicatio*. Nam vocatur *Distinctio* Ecclesiasticæ censuræ, prout habetur c. 1. de offic. vicar. in 6. Dicitur *abominatio*, & excommunicatus abominatus sæpè apud Alciatum, ut notat Alex. Scot. V. cod. Dicitur *subtrahitio gratiæ Apostolicæ Sedis* in c. *qua sedem*, de offic. Ordin. Appellatur *censura divina* à Tertulliano in Apolog. advertit gentes c. 39. Item *censura Ecclesiastica* ab Innocent. III. in c. *Nuncios*, de Decimis. Rectè autem censuræ nomen in illam quadrat, utpote poenam, quæ hominum contumacia reprimatur; sicut olim reprimebatur apud Romanos censorio munere. Dicitur *Mors* à Cypriano l. 1. Epist. 11. & à jure c. *Abst* 11. q. 3. & c. *per venerabilem*, §. *Sunt autem*, qui filii sint legitimi, Quia sicut mortuus vitæ hujus fructibus caret,

ita excommunicatus spiritualis vitæ fructibus privatus est. Vocatur *Medicina* à S. Augustino hom. 50. c. 12. & refertur c. *multi*, 2. q. 1. quia ad eum finem proferri debet, ut corrigat, & sanet, juxta Apóst. 1. Corinthi. 5. *Ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini.*

Præterea nuncupatur *Muro Episcopii* à Joanne Papa, c. *Viss*, 16. q. 2. quia (ut inquit Cyprianus lib. 1. Epist. 11. alias epist. 62. ad Pomponium) spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. *Virga ferrea* dicitur à S. Hieronymo Epist. 58. quia nulla alia censura aquè atque excommunicatio superbiam comprimit & confringit. *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ* à Clem. V. in Clement. 1. de sent. excom. & Innocent. III. quia sicut nervis membra corporis ligantur, & stringuntur, ut munia sua obeant, sic fideles hæc censurâ in suo officio continentur. *Maxima omnium poenarum* dicitur à S. Augustino de Corrept. & gratia c. 15. & refertur c. *Corripiantur* 24. q. 3. Quia in c. *Cum non ab homine*, de judic. Celestinus III. ait: Ecclesiam post *anathema* latum non habere ultra quid faciat. Constat etiam ex c. *omnis Christianus*, 11. q. 3. ubi ponuntur hæc verba: *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathana traditur, quomodo: scilicet quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus*: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur; Sic Pereyra in Elucidario à n. 1730.

## ARTICULUS I

*Quid, & quotuplex sit excommunicatio?*

**E**scobar Theol. mor. tr. 4. Exam. 2. c. 1. 1851 definit eam, dicendo *esse censuram Ecclesiasticam, quæ homo baptizatus privatur spiritualibus bonis, & communicatione civitatis*; Gibalinus disq. 1. q. 2. n. 2. ait, *esse censuram, quæ hominem privet communione fidelium*, idem sentiente P. Suarez D. 8. hic, sect. 1. Mihi placet definitio secunda. Nam prior non videtur excommunicationi minori convenire. Est autem triplex *communio fidelium* 1. *purè interna*, quam habent fideles, ut sunt membra ejusdem corporis mystici sub Christo capite, in quo per fidem, & charitatem uniantur, ratione hujus unionis habent, quòd unus alteri applicare possit ex congruo specialia beneficia;



neficia; & suas satisfactiones, quarum alter capax est, pro illo offerre; Layman l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. Deinde *purè externa*, seu *politica*, quæ consistit in fidelium convictu, colloquio, & commerciis: 3. *mixta* sita est in actionibus externis, & cœremoniis; interiorè quæ, ac spiritualem fructum ex propria institutione confert. Huc spectat usus activus Sacramentorum, Ecclesiæ suffragia, quæ scilicet nomine Ecclesiæ in Sacrificio, aliisque precibus publicis, & officiis pro universa Ecclesia funduntur; item satisfactio Christi, & Sanctorum, quæ ab Ecclesia ex communi thesauro fidelibus iustis applicantur.

1853 Not. autem 1. quod Ecclesiæ nec velit, nec possit per censuram privare fidem communicatione purè internâ; ita Layman cit. n. 3. Gibalin. dist. 1. q. 1. n. 5. Nam Ecclesiæ invito tollere non potest, quod est, esse membrum corporis Christi per fidem, & charitatem cum reliquis fidelibus, in quo sita est radix internæ communionis. Hinc quando diximus, hominem per censuram privati spiritualibus bonis communibus, intellige publicis, non internis.

1854 Not. 2. quod nec possit hominem privare fructu, quem percipit ex aliorum privata pietate; hæc enim sunt bona privata operantis; Layman cit. n. 4. Hinc quilibet, etiam Sacerdos in sacrificio (sub memento) pro excommunicato privatim, & suo nomine licitè orat; Layman cit. & Streinius cit. n. 5. non autem nomine Ecclesiæ; hinc cum dicitur, quod excommunicatio privet Ecclesiæ suffragiis, intellige iis, quæ publicè fiunt nomine Ecclesiæ; non verò, quæ privatim à singulis nomine suo.

1855 Not. 3. Quod nomine *excommunicationis* simpliciter, & sine addito prolata, post constitutionem Gregorii IX. in c. *Si quem*, 59. de sent. excom. intelligatur excommunicatio major; ita Gibalinus cit. q. 2. n. 4. & 5. Unde quando in c. 1. de exceptionibus in 6. dicitur: si quis in iudicio *excommunicationem* opponat, illius speciem declarare debet; intellige *speciem excommunicationis majoris*, desumptam scilicet ex delicto, an ex violatione Ecclesiæ, an ex percussione Clerici? &c. non verò speciem excommunicationis ut sic, ita Castropal. D. 2. p. 2. n. 3.

1856 Nec locum habet regula juris, quod in dubio benignior interpretatio capienda sit, hic enim post constitutionem Gregorii

IX. vox excommunicationis simpliciter prolata, non amplius est in dubio, an stet pro majori, vel minori, nisi ex adiunctis colligatur, tunc solum interdicti usum passivum Sacramentorum. Ante Gregorium IX. excommunicatio simpliciter prolata stabat pro excommunicatione minori, ut notat Gibalin. cit. n. 4. & colligitur ex c. *Engelrudam*, 3. q. 4.

Quoad divisionem excommunicationis, non afferro illam, quæ est à jure, & ab homine, idque per sententiam generalem, vel specialem; item eam, quæ est ipso jure, seu lata sententiæ, & alteram, quæ solum est sententiæ ferendæ: de his enim in communi actum est à n. 1612. Solum ergo agimus de excommunicatione, quæ dividitur in majorem & minorem; illa *simpliciter* privat communicatione fidelium; hæc tantum secundum quid, scilicet quoad solum usum passivum, seu receptionem Sacramentorum. Hinc illa, est privatio totalis; ista, tantum partialis; ubi etiam nota, quod hæc nomina, *major* & *minor* sint nomina correlativa: nam major dicitur habito respectu ad *Minorem*: sicut è contra Minor vocatur, non ut quidam sentiunt, ob parvitatem objecti, sed respectu *Majoris*; quia est pars majoris, ut tenet Sotus in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. *Minor excommunicatio*, ut sumitur ex c. *penult.* de sent. excom. sic definitur: *Est censura privans Sacramentorum participatione.*

Quare (ut docet Suarez D. 24. sect. 2.) 1858 proprius, & adæquatus hujus censure effectus est privare hominem usu, & participatione Sacramentorum: quamvis enim sic ligatus hac excommunicatione, si celebret, vel Sacramenta suscipiat, nec irregularitatem, nec aliam pœnam ipso facto incurrat, tamen peccat graviter. Omnes alii actus Ecclesiasticæ communicationis, tam Sacri, quam civiles illi excommunicato licent. Nec dicas positam definitionem competere peccato lethali, quatenus hoc privat receptione passiva Sacramentorum; & enim N. quia peccatum illud non impedit directè, & per se prohibendo, imò non reddit incapacem Sacramenti pœnitentiæ: Secus excommunicatio Minor. Unde ad illud tollendum sufficit contritio, ad hanc requiritur absolutio.

Excommunicatio major ulterius dividitur in *justam*, & *injustam*. Justa excommunicatio est, quæ in nullo deficit à iustitia,



ac proinde vendicat tria; primum, ut detur causa justa, & rationabilis, propter quam feratur; secundum, ut debito modo feratur: tertium, ut animo recto, ab habente potestatem, id est, à proprio iudice feratur: *injusta* dicitur, quæ in aliquo ex tribus assignatis deficit. Dividitur, 3. ratione efficacæ in *validam*, quæ efficax est, & *invalidam*, quæ nulla, & inefficax est. Dividitur, 4. ratione potestatis absolvendi in *reservatam*, & *non reservatam*. Quæ est ab homine, communiter reservata est suo auctori, vel ejus Successori, ita ut juxta Covar. in c. *Alma mater*, §. 12. n. 13. nec per superiorem ejus absolvi possit, nisi de ejus scientia. Quæ est à jure, & reservata, à nemine regulariter potest absolvi, præterquam ab eo, cui reservata est. Si autem nulli reservetur, absolvi potest ab Episcopo, imò à proprio paroco in foro conscientia. *Anathema* non differt substantialiter ab excommunicatione majori, sed tantum solemnitate, & apparatu. Reliqua ex dictis à n. 1609. resolvi possunt.

## ARTICULUS II.

*De excommunicato vitando, & non vitando.*

1860 **C**um in sequentibus frequens mentio futura sit de excommunicatis vitandis, vel toleratis, not. *vitandum* dici, quem fideles tenentur vitare quoad communicationem cum illo tam in sacris, quam in civilibus, & politicis; & ideo talis etiam dicitur *non toleratus*; is verò, quem non tenentur evitare, sed cum quo communicare possunt, dicitur *toleratus*, & *non vitandus*. Olim, & jure antiquo omnis excommunicatus excommunicatione majori vitandus erat à fidelibus, ac proinde nullus cum illo licitè habere poterat ullam communicationem; patet ex c. *Excommunicatos*, II. q. 3. ex constitutione Calixti, ubi loquitur de excommunicatis quibuscunque: nunc tamen jure novo, ex Constitutione Concilii Constantiensis, quod celebratum est anno 1414. & confirmatum à Martino V. tantum vitandi sunt. 1. qui sunt excommunicati excommunicatione majori, & vel publicè, ac specialiter denunciati; aut adeo notoriè & sacrilegè percussurunt Clericum, ut eos in censuram canonis incidisse, nullà tergiversatione, vel suffragio celari possit; ita Concilium Constan-

tienſe in Extravag. *ad evitanda*; illius verba sunt: *ad evitanda scandala &c. nemo reneatur abſtinere à communicatione cum excommunicato, niſi ſententia, ſeu excommunicatio fuerit à Judice promulgata, vel denunciata ſpecialiter & expreſſe*: tum ſubjungit aliud genus vitandorum, ſcilicet *notiorum percufforum Clerici actu ſacrilego*.

Exinde ſequitur, quòd nullus ſe tueri poſſit privilegio Sedis Apoſtolice in c. *Nullo* h. t. quo minus vitare debeat talem excommunicatum non toleratum, poſt hanc conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, at rationem non omnes eandem afferunt. Aliqui dicunt; quia præceptum vitandi eſt juris divini; ſed contrarium eſſe patet ex Extravag. Martini V. *ad evitanda*. Vera igitur ratio eſt, non quòd Pontifex non poſſit concedere tale privilegium; ſed ſolum, quòd hoc non veniat generali privilegio exemptionis; Sic Barboſa in cit. c. *Nullo*, n. 6. Hinc intellige textum de privilegio Sedis Apoſtolice generali quoad exemptionem.

Not. autem 1. quòd hæc conſtitutio *ad evitanda*, ſit poſterior conſtitutione Clementis III. in c. *Cum non ab homine*, de ſent. excom. ubi præcipit, ut publicus excommunicatus vitetur publicè; occultus, occultè. Conſtitutioni Concilii Conſtantienſis aliqui volunt per Concilium Baſileenſe, illo poſterius, ſeſſ. 20. in fine, ſub tit. de excommunicatis vitandis, moderationem adhibitam eſſe, ut non ſolum notorius Clerici percuffor; ſed quicumque notorius excommunicatus vitandus eſſet. Verum conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, hoc non obſtante, integram ſervandam eſſe, docet Sylveſter, Suarez, Navar. Victoria, Avila, Coninch, & alii, quos citat, & ſequitur Caſtopal. n. 5. quia Concilium Baſileenſe fuit acephalum, atque adeo deſtitutum omni auctoritate; & in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. dicitur, non fuiſſe Concilium, ſed conciliabulum; erraſſeque in multis, maximè in deſiſtione Eugenii IV. ita Caſtopalaus, & addit Gibalinus diſq. 7. q. 1. n. 4. & 8. hanc conſtitutionem tutò admitti propter communem jam ejus uſum, licet fortaiſſe vim legis ſynodalis, & univerſalis non obtineat; & propter hoc juri communi non deroget.

Not. 2. in dicta conſtitutione Concilii Conſtantienſis (ubi permittitur fidelibus cum certis excommunicatis aliqua com-



municatio, de qua dicemus infra) adiungi, non esse de mente Concilii, favorem aliquem per hoc facere ipsis excommunicatis, sed tantum fidelibus. Ex quo sequitur, omnem cum excommunicatis toleratis communionem, fidelibus permitti; cum solum vitandi sint illi, qui aut notorii sunt percussores Clerici, vel nominatim denuntiati; non tamen aliter, quam si à fidelibus requirantur.

1864. Not. 3. Non eo ipso censi denuntiatum, quod quis publicè declaratus sit commississe crimen, cui annexa est censura. Nam *declarare crimen*, & consequenter censuram, non est specialiter, & expressè *denuntiare censuram*, sed tantum indirectè & implicite; ita Navarrus, Castropal. Gibalinus disquis. 7. q. 1. n. 18. §. non sufficit, cum Reginaldo & Sanchez, contra Salas, Gutierrez, Avilam, Bonacinam, Sanctarell, Covar. & alios ibi, qui tenent oppositum.

1865. Not. 4. Ut percussor Clerici dicatur *notorius*, requiri, quod percussio facta sit coram maiore parte populi viciniæ, vel communitatis, in qua ad minus sint decem, quibus constet, nullâ tergiversatione, vel suffragio iniustitiam celari posse; Sic Navar. Avila, Layman, Hurtad, Coninch cum & apud Castropal. n. 7. quamvis addat Castropalaus n. 8. solam famam à fide dignis ortam, plenè & integrè probatam, de percussione Clerici, vel denuntiatione sufficere, ut vitandus sit percussor.

1866. Not. 5. Excommunicatum, in uno loco denuntiatum, vitandum esse ubilibet, doceri ab Henriq. Vasq. Filiuc. & Bonacin. sed probabilius negari à Castropalao p. 4. n. 9. cum Sanchez, Avila, & aliis. Quia excommunicatus, *publicus in uno loco*, non est censendus *publicus in alio*. Quando autem dicitur, quod denuntiatio *afficiat personam*, intellige *respectu eorum*, in quorum notitiam venit denuntiatio. Undè, quoniam obligatio vitandi etiam secreto, oritur ex denuntiatione notoria; ubi non est notoria, ibi non teneris vitare etiam secreto, licet alibi denuntiatum.

1867. Ex his inferes. 1. quod non teneris cum vitare, quem etiam evidenter nosti excommunicatum, si non sit notorius Clerici percussor, vel *publicè, specialiter & expressè denuntiatum*, sequitur ex n. 1860. idem est, si dicatur: *Excommunicamus Petrum incendiarium, & ejus complices, il-*  
Tom. V.

*lumque, & complices ut tales denuntiamus.* Teneris enim tantum vitare Petrum, non complices; hi enim non sunt *specialiter*, sed tantum *generaliter* denuntiatum. Similiter nec teneris vitare excommunicatum, privatimque in cubiculo denuntiarum; quia talis non est denuntiatum *publicè*.

Quæruntaquæ, an obligatio vitandi 1868 excommunicatum denuntiatum, vel notorium Clerici percussorem sit juris divini? Respondet Suarez, & alii cum Castropal. p. 4. n. 2. esse solius juris Ecclesiastici; aliàs illam non posset Ecclesia restringere, vel extendere, aut mutare; sicut pro varietate temporum factum esse constat ex c. *quoniam multos*, 11. q. 3. hinc verba Matthæi c. 16. de habendo sicut Ethnico, qui Ecclesiam non audierit &c. non sunt præcepti, sed tantum consilii. Cæterum ut obligeris vitare excommunicatum non toleratum, requiritur certitudo moralis, eum esse talem; Sic Tamburinus l. 10. tr. 1. de excom. c. 3. §. 3. Et ut quis propter notoriam Clerici percussorem vitandus sit, non sufficit notoreitas juris, sed requiritur facti, ut dictum est alibi.

### ARTICULUS III.

*Quæ communicatio fidelibus permittatur cum excommunicatis toleratis?*

R Esp. permitti omnem fidelibus, ac si ii, 1869 qui stante excommunicatione tolerantur, excommunicati non essent, etiam seclusâ necessitate; ita Gibalin. disq. 7. q. 1. p. 3. Extravag. *ad evitanda*. Ratio est, quia ex nullo capite fidelibus interdicitur communicatio cum excommunicatis toleratis; aliundè clarè permittitur à Concilio Constantiensi, modo non inducas eos ad actionem, quam sine peccato, ex alio capite, quam ex vi censuræ, peragere non possent. Hinc fideles licitè petunt sibi administrari Sacramenta ab excommunicatis toleratis; & hi ad fidelium instantiam licitè exercent suas actiones, perinde, ac si excommunicati non essent. Cum enim fidelibus directè concedatur facultas utendi illorum communionem; indirectè etiam illis conceditur facultas exhibendi petita. Nam aliàs fideles non possent licitè uti concessione Concilii, si illi non possent licitè respondere; ita Castropalaus, & Gibalin. loc. cit. Et ideo excommunicati tolerati, à fidelibus requisiti, licitè quidem exercent actus alio-

Ggg quia



quin à censura veritos; non tamen ex se, & si non requirantur. Tota enim concessio est in favorem fidelium; non autem ullo modo directè in favorem excommunicati. Hi enim ex parte sua eodem modo tenentur alios fideles vitare, ac ante Concilium Constantiense tenebantur. Verùm quidem est, per accidens: & ex consequenti (ex licentia, & petitione fidelium) aliquid eis commodi accedere, non autem per se. Hinc etiam excommunicati inter se tenentur se vitare.

1870 Datam responsonem extende, ut fidelibus non tantum publicam, sed etiam privatam, & secretam communicationem cum excommunicatis toleratis liceat habere tam in profanis, quàm in Sacris; ita Gurtierrez, quem citat & sequitur Gibalin, cit. n. 14. Et quoniam in textu Concilii Constantiensis cit. præcipiuntur solum illi *vitandi*, qui inciderunt notoriè in sententiam Canonis ob sacrilegam Clerici percussionem; vel in aliqua censura sunt specialiter, & expressè denunciati; universaliter in omnibus aliis licet fidelibus communicare cum quovis censurato, qui non est ex prædictis. Hinc putat Gibalin, disq. 7. q. 1. n. 15. notorios suspensos, vel interdictos non esse vitandos; atque adeo, dum hæc censura denunciata non sunt, ut requiritur, potes cum ejusmodi censuratis communicare, ac si suspensi, vel interdicti non essent. Navar. Gurtier. Sayr. Hurt. cum & apud Castropal. p. 5. n. 8. Gibalin, disq. 7. q. 1. n. 15. ubi tamen not. ex Layman apud Gibalin, n. 16. hanc facultatem communicandi, cum excommunicatis toleratis, concessam fidelibus, non esse obligationem, sed licentiam & veniam. Hinc potest fidelis non acceptare imperium sui Episcopi excommunicati, quia non tenetur ei communicare, licet, si velit, possit; excipe, nisi consuetudo, vel edicta Principum aliud postulent; Gibalin, loc. cit. n. 18. in fine.

1871 Si quæras, an etiam excommunicatus sententiâ speciali non sit vitandus ante denuntiationem? Negant Adrianus, Medina, Felin. Rodolphus & Ugolin. apud Gibalin, n. 18. quia in Concilii constitutione nihil dicitur de specialiter excommunicatis. Nam verba Concilii sunt: *Nemo deinceps ex prætextu cujuscunque sententia, ab homine, vel à jure generaliter promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, &c.* Alii tamen ex communi consensu affirmant; quia

scilicet priora verba explicantur sufficienter per sequentia, quibus requirit, *ut sententia in certam personam lata* (quæ utique est sententia specialis) *non obstringat ad vitandum, nisi promulgata, vel denunciata.*

Quando fit appellatio à denuntiatione & censura, docet Gibalin, cit. n. 19. in fine, impediri, ne, qui appellavit, vitandus sit. Nam effectus appellationis est rescissio actus, à quo appellatur; & restitutio appellantis in statum pristinum, juxta Bartolum, Panormitanum, Decium, & alios; prout tradit Navar. l. 2. consil. de sent. & re judicata, n. 6. apud Portel. p. 2. casuum, casu 12. n. 5. quod verum existimo, quoties appellatio est legitima; secus, si non sit legitima, ut notavimus supr. Et quamvis appellatio contra latam ab Episcopo excommunicationem, si fiat ad Metropolitatum, non suspendat hujus excommunicati evitacionem in aliis, suspendit tamen in his, quibus probare vult nullitatem censuræ, vel intolerabilem errorem commissum, c. *Per tuas* 4. h. t. in his enim audiendus est; non autem, in sola probatione injustè late, nisi prius absolvatur, quod facere potest Metropolitanus ibidem. Econtra, si quis probet, se excommunicatum post appellationem, pendente probatione in judiciis evitabitur; extra judicium verò minime, c. *solet*, 2. de sent. excom. in 6. ibi: *in secunda verò questione statuimus, ut, qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, in cæteris, qua ut actor in judiciis attentaverit, interim evitetur. Extra judicium verò in officiis, postulationibus, & electionibus, ac aliis legitimis actibus nihilominus admittatur.*

Quares, quid dicendum, si denuntiatione fit dubia? 12. quod tunc nemo vitandus sit; tunc enim possessio non stat pro denuntiatione; ubi autem denuntiatio certa est, licet non constet excommunicatio, nihilominus denuntiatum vitandum esse, docet Gibalinus cum communi n. 28. quia obligatio vitandi oritur ex denuntiatione, quod talis excommunicationem incurret; quod videtur limitandum ad forum externum; nam, si cui constaret, talem in re excommunicatum non esse, in foro conscientie non esset vitandus, seculo scandalo, & contemptu. Denique si Confessarius ex sola confessione novit, aliquem esse denuntiatum, non tenetur illum vitare. Non enim novit illam denuntiationem



nem modo humano, exponitque se periculo violandi sigillum confessionis, quod nullo modo licet; Sic Tamburinus tr. 1. de excom. c. 3. §. 3. n. 10. Similiter Parochus non tenetur vitare, quem iustus est denuntiare, si nondum denuntiavit, licet actu habeat literas denuntiatorias; ita Sylvest. & Guttier. apud Gibalinum; quia tunc adhuc denuntiatus non est. Qui verò semel est denuntiatus, is semper vitandus est, quam diu non constat, eum esse à censura liberatum. Imò in c. *Sicut nobis*, 39. de sent. excom. definitum est, præsumi durare excommunicationem, ubi non constat de obtenta absolutione. Reliqua quæ pertinent ad licitam, vel non licitam communicationem cum excommunicatis, ex sequentibus intelligentur.

ARTICULUS IV.

De privatione communicationis in Sacris.

1874 **I**nter primos effectus excommunicationis majoris est, quòd eum, quem afficit, privet communicatione cum fidelibus in rebus sacris. De communicatione enim in profanis & civilibus, dicemus in seq. pertinent autem ad communicationem in sacris, Ecclesie suffragia, usus activus & passivus Sacramentorum, divinorum officiorum, & aliarum rerum sacrarum, sepultura Ecclesiastica, receptio & collatio beneficiorum Ecclesiasticorum, jurisdictio utriusque fori & similia.

§. 1.

An, & quomodo excommunicatio major privet communibus Ecclesia suffragiis?

1875 **C**ommune suffragium Ecclesia nihil aliud est, quam communis totius Ecclesie oratio; qualis est sacrificium Missæ, recitatio Breviarii, ceteræ preces publicæ, & benedictiones, quæ fiunt ab eisdem Ecclesie Ministris, nomine & in persona totius Ecclesie ad impetrandum suis fidelibus auxilium spirituale. Hinc nor. ex Gibalino disquis. 7. q. 2. n. 3. per preces publicas Ecclesia non intelligi eas, quæ à fidelibus publicè fiunt, sed quæ à ministris & personis Ecclesie ad id deputatis, ac ipsius vices gerentibus, modo, ac ritu ab ipsa præscripto: per privatas autem, quæ fiunt à personis non designatis ab Ecclesia eo modo, ut dictum est.

1876 Potest autem in his omnibus considerari

Tom. V.

triplex fructus, in quo communicent fideles; primus, qui venit ex privata intentione operantis nomine suo; secundus, qui ex satisfactione, & meritis Christi, ut cum Minister in ejus persona, & nomine agit: tertius, qui respondet operanti, ut agenti nomine Ecclesie. Primo, & secundo fructu non privat excommunicatio major, cum non pendeat à jurisdictione Ecclesie. V. n. 1852. & seq. Sermo igitur est de tertio. Nam *privari communibus Ecclesie suffragiis*, aliud non est, quam *carere fructu*, qui ex communibus sacrificiis, & orationibus Ministrorum, prout pendet ab intentione Ecclesie volentis, vel nolentis hunc vel illum in tali oratione, nomine suo faciendâ, includitur, ad fideles derivatur, his positis:

Excommunicatio major quemlibet, 1877 quem afficit, non absolutum à tali censura, privat communibus Ecclesie suffragiis; ita Gibalin. cum communi, n. 8. hoc enim facere potuit Ecclesia; & eam hujus esse voluntatis, constat ex c. *à nobis*, 28. ibi: unde quantumcunque se quis juramento præstito, quòd Ecclesie mandato pareret, humiliter curaverit: quantacunque poenitentia signa præcesserint, si tamen morte præventus absolutionis non poterit beneficium obtinere, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus*, & c. *Sacris*, 38. de sent. excom. ibi: licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat, qui cum omnibus favoribus, & participibus suis excommunicationis sententia sunt adstricti, ad cor rediens de mandato Ecclesie excommunicatos, quos prius fovemat, expugnaverit; non tamen, priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus. Ex quibus patet, hoc verum esse, licet foret contritus, si non sit absolutus. Contritio enim non tollit vinculum censura; c. *Sacris*, cit. item est, si censura injusta quidem sit, sed valida, Gibalin. n. 20. contra complures, quia talis revera est excommunicatus.

Ex dictis inferes, quòd peccet mortali, 1878 ter, qui suffragia Ecclesie in particulari offert pro excommunicatis vitandis; facit enim contra præceptum Ecclesie in re gravi; ita S. Thomas, Suarez, Fillucius, Bonacin, & alii. Licet tamen illis applicare fructum, ut respondet operanti ex intentione privata ex n. 1876. Si petas, an possit nomine Ecclesie quis orare pro illis saltem in communi

Ggg 2

affir.



affirmat Sylvester, Sonimas, & alii apud Castropal. n. 5. Sed rectius contrarium docet cum Castropal. n. 6. Gibal. n. 22. tum quia Ecclesia sua bona vult solum communicare suis membris, sibi unitis; tum quia sic vitandi non magis privarentur illis fructibus, quam fideles. Nam & pro his solum generaliter oratur.

1879 Quæres, an liceat hoc facere pro illis, saltem in communi, tanquam pro extraneis, ut reducantur ad obedientiam Ecclesie? affirmat Sylvester, & alii apud Leonardum q. 7. quia ipsa Ecclesia, die parasceves, sic pro illis orat, ut etiam pro hæreticis &c. sed probabilius negatur, quia Ecclesia intentio est nullo modo, *nomine suo*, pro illis orare. Quando verò in parasceve orat pro hæreticis, id facit, quia Christus pro omnibus mortuus est; nunquam tamen pro excommunicatis sub hoc nomine. Cæterum ex eo facto Ecclesie nihil concluditur ad alium inferiorem; hæc enim condidit legem, adeoque in illa dispensare potest. Unde alii negant à Sacerdote in aliis Missis licitè usurpari orationem illam, quâ utitur Ecclesia in parasceve pro hæreticis; intellige, *si vitandi sint*. Licet tamen indirectè orare etiam per communia Ecclesie suffragia pro illis, pro quibus aliàs non licet directè, v. g. si quis oraret *pro augmento Ecclesie, &c.* sic enim, indirectè, saltem, oratio etiam pro illis fieret.

1880 Licere facere publica Ecclesie suffragia pro excommunicatis vitandis, quando sunt contritii, & per eos non stat, absolvi à censura, docet S. Antonin. Navar. Covar. Henriq. Sayr. Davila apud Castropalaum n. 7. Sed rectius negat Sorus, Suarez, Coninch, Layman, Hurtad. cum & apud Castropal. n. 8. ex c. à nobis, 28. de sent. excom. ubi hoc expressè decidit Innocentius III. de eo, qui in excommunicatione defunctus, ante mortem signa contritionis dedit.

1881 Inferes 2. orationem publicam, nomine Ecclesie factam, directè pro excommunicato vitando, nullam fore; Gibalin. n. 23. quia donatio bonorum, subjectorum voluntati Ecclesie, contra ejus voluntatem nulla est; Secus est, si fieret nomine Christi, ex n. 1876. tali tamen casu peccaret minister, potest enim Ecclesia ministro prohibere, ne alicui ministret Sacramenta, licet in eorum ministracione gerat personam Christi. Cæterum si minister nihilo-

minus faceret, illicitè quidem, sed validè faceret; quia valor, & consequenter fructus, ut respondet ministro ut operanti in persona Christi, non subest voluntati Ecclesie. Not. tamen, licitum esse orationes publicas facere pro excommunicato tolerato, probabilius teneri ab Escobar Theol. mor. l. 1. s. 2. d. 9. sic licitè offerimus sacrificia pro hæreticorum reductione.

Inferes 3. quòd, quamvis nec excommunicatus toleratus per ipsam Ecclesiam includatur in communibus ejus suffragiis, & consequenter hæc ratione non sit illius fructus particeps; tamen, si minister cum in illis, etiam ut fuit nomine Ecclesie, includeret, licitè ageret, & excommunicatus, si obicem peccati non haberet, validè reciperet; ita Gibalin. n. 22. & apud cum Henriquez, Ugolinus, Sayr. Coninch, Hurtado, de Lugo, Layman, & alii; quia per Extravag. *ad evitanda scandala*, quilibet fidelium licitè in sacrjs, & extra, communicat cum excommunicatis toleratis; quæ communicatio ibidem in favorem fidelium non restringitur; atqui oratio, & oblatio sacrificii etiam est aliqua communicatio. Nam Innocentius III. postquam in dicto c. à nobis, de sent. excom. præcepit, ut excommunicatus, mortuus poenitens, absolvatur, & deinde pro illo sacrificia offerri possint, statim subiungit: *nec obstat, quòd legatur, non communicatur mortuo, cui non est communicatum & vivo*; cum etiam communicatum non fuerit, communicandum tamen fuisset; ergo oblatio sacrificii ex mente Innocentii, est aliqua communicatio.

Dices: ex hoc sequitur, concessionem Concilii Constantiensis esse etiam in favorem excommunicatorum; cum tamen ipsam expressè dicat: *per hoc tamen ejusmodi excommunicatos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*. Sed r. sub distinctione: sequitur, *per accidens, & indirectè* esse in favorem excommunicatorum, C. directè, & per se, N. illud autem non repugnat menti Concilii, quando favor, qui redundat in excommunicatos, solum per accidens illis contingit ex eo, quòd directè faveat fidelibus. Est autem magnus favor fidelibus, posse accipere stipendia pro sacro ab excommunicatis toleratis; posse etiam communibus precibus succurrere suis, non teneri expungere nomen Principis ( si fortè excommunica-



tus esset) à publicis precibus &c. ita Villalobos t. 1. tr. 17. diff. 4. n. 8.

1884 Inferes 4. quòd sacerdos excommunicatus (cùm licitè celebrat, ut quando requiritur à fidelibus) sibi licitè applicet fructum sacrificii, etiam, ut provenit nomine Ecclesie, & in persona Christi operanti respondet; tunc enim licitè fit, cùm abest prohibitio; sed ita est in presenti; ergo. min. pat. quia offerre sacrificium pro excommunicato vetitum est solùm, in quantum non licet ei communicare; sed huic Sacerdoti licet communicare secumetipso; ergo. Hinc etiam, si aliud peccatum non habet, fructum validè recipit; tunc enim ex nulla parte est incapax; non vi alterius peccati, ut supponitur; non vi hujus actionis; hæc enim ex dictis licita est; ergo. Et hoc etiam verum est de excommunicato vitando, si aliquando, ut ex gravi necessitate, celebret licitè.

S. 2.

An, & quomodo excommunicatio major privet usu indulgentiarum?

1885 Duplex est indulgentia; una, quam quisque sibi lucratur, & datur per modum absolutionis; altera, quæ per modum solutionis & suffragii; per quam unus fidelis alterum juvare potest, qualis est indulgentia, quam ex concessione Ecclesie, defunctis applicamus. Ejusmodi indulgentias per modum suffragii posse quoque viventibus distribui docet Gibalinus de juridict. sacra disq. 7. q. 2. n. 27. quibus positus: quòd nullus excommunicatus, etiam toleratus, possit sibi lucrari indulgentias, licet opera in eam rem injuncta præstet; ita Ugolin. Rosella, Suarez, Bonacina, Sà, & alii. Excommunicatus etiam nullam habet facultatem usurpandi sibi bona Ecclesie communia, nisi dependenter ab ejus consensu, cujus dispositioni subsunt. Hunc autem consensum non dat Ecclesia in intentione generali, quæ de thesauro meritorum Christi, & Sanctorum indulgentias dispensat; ergo. Est contra Leandrum q. 17. qui stat pro parte affirmante; sed ejus ratio nihil suadet. Licet enim opera præscripta peragat, adhuc non lucrabitur, nisi in illum Ecclesia consentiat.

1886 Si quis tamen fidelium indulgentias, per modum suffragii concessas, excommunicato tolerato applicet, & licitè agat, & validè, si aliunde non habeat obicem.

Nam. 1. licitè communicamus excommunicatis toleratis per n. 1869. Nec valet dicere, hic fieri favorem excommunicato contra Concilium Constantiense; nam talis favor illi solùm fieret indirectè, & per accidens, ut diximus antè. Ex eo autem, quòd Pontifex alicui concedat indulgentias, non eo ipso censeri debet absolutus à censura, nisi aliud verbis exprimat, aliàs enim illa concessio est tantùm conditionata, si scilicet subjectum capax sit, Suarez tom. 4. in 3. p. D. 52. S. 2. n. 3.

S. 3.

An, & quomodo excommunicatio major privet usu activo Sacramentorum?

1887 Excommunicatio major omnino privat eà affectum licito usu activo Sacramentorum, sive excommunicatus ille sit vitandus, sive toleratus. Hinc nunquam licitè confert ullum Sacramentum, nisi adsit causa excusans, c. Latores, 4. de Clerico excommunicato ministr. ubi tales deponi jubentur, nisi propter multitudinem eorum, qui peccarunt, poena mitigetur; & c. si celebret, 10. eod. ibi: peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta. Si verò conferret extra dictam causam, peccaret graviter, quia violaret prohibitionem Ecclesie in re gravi, Castropal. p. 8. Gibalin. q. 4. n. 3. Excusat autem excommunicatum vitandum gravis necessitas propria, vel proximi: toleratum etiam petitio fidelium, vel ignorantia probabilis, ex c. Apostolica. 9. eod. ibi: qui tempore suspensionis ignari celebrastis divina vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum si forte ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia excusatis, eam vobis de benignitate Apostol. indulgemus. Et ideo excommunicatus etiam vitandus potest licitè celebrare, ne se infamet; ne suum delictum occultum revelet, ne scandalum generet, exigente id gravi necessitate; Sic Leander D. 5. q. 3. quod etiam procedit in periculo mortis alienæ, vel etiam sibi imminenti; hinc potest alteri in necessitate conferre baptismum; imò tenetur, si sit periculum mortis; non tamen debet facere solemniter, esto sacerdos sit; hoc enim necessarium non est; potest autem baptizare licitè in casu necessitatis, esto alius laicus non excommunicatus præsens sit; quia quando pluribus conceditur privilegium, servandum est inter ipsos jus

Ggg 3

com-



communiter, L. *Affiduis*, C. qui portionem in pignore habent. Jure autem communi jus baptizandi competit Sacerdoti, ex c. *Diaconos*, dist. 93. c. *Constat*, de Consecrat. dist. 4.

1888 Ex iisdem causis Sacerdos excommunicatus vitandus alteri in articulo mortis licitè ministrare potest Sacramentum poenitentiae, modò prius conteratur, & alius non addit; ita Leander q. 10. cum pluribus contra Navar. Covar. & alios ibidem, quia pro hac necessitate non suspenditur illi iurisdictioni, ut patet ex Trid. Sess. 14. c. 7. ubi dicit: *ne aliquis pereat, in Ecclesia DEI semper custoditum fuisse, ut nulla sit reservatio in mortis articulo*; atque ideo omnes sacerdotes, quoslibet poenitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possent; quod verum est, licet talis Sacerdos excommunicatus sit propter haeresim; sequitur ex verbis Tridentini, cum dicit: *omnes Sacerdotes*, imò in eadem necessitate potest, licet praesens sit alius Sacerdos simplex non excommunicatus. Non enim est major ratio unius, quàm alterius, cum uterque tunc sit confessor ex privilegio; verba enim Tridentini universalia sunt, ita etiam Lugo de poenit. D. 18. S. 2. n. 37. contra Suarezium, & alios.

1889 Praeter haec quaeres 1. an excommunicatus vitandus, alteri in mortis articulo, possit licitè ministrare Sacramentum extremae unctionis? 2. an saltem tunc, si infirmus non potest accipere Sacramentum poenitentiae vel Eucharistiae? Ad 1. affirmative respondet Prapositus, esto receperit Sacramentum poenitentiae: communiter tamen negant Suarez, Bonacina, Filiucius & alii, si accepit Sacramentum poenitentiae vel Eucharistiae; tunc enim non est salutis eius necessarium. Videtur tamen probabilis etiam affirmans; quia saepe conducit tum corpori, tum animae, nec ex aliena culpa videtur fraudandus tanto bono, in eiusmodi periculo ad bonam mortem obeundam tam salutari. Ad 2. adhuc negat Suarez, & alii, sed etiam probabiliter affirmant alii; quia cum saepius ex attrito faciat contritum, videtur probabiliter necessarium illius salutis.

1890 Quaeres 3. an Episcopus excommunicatus vitandus, in aliquo casu licitè conferat Sacramentum Ordinis? 4. an Parochus vitandus licitè assistat matrimonio, cum in articulo mortis ducitur in uxorem, quae

fuit concubina? vel an peccet, si in hoc casu assistat? 5. an excommunicatus vitandus licitè, ac validè coram Parocho contrahat in articulo mortis cum concubina? Ad 3. negat Alterius, & alii apud Leander q. 16. sed affirmant probabilius Suarez, Corneio, Diana; potest enim in aliqua terra remota esse magna necessitas Clericorum, ubi non esset nisi unus talis Episcopus; tunc enim ob commune bonum talis licitè conferret ordines factos; quia credibile est, tali casu ex voluntate Ecclesiae suspendi excommunicationem.

Ad 4. R. affirmative; quia probabiliter Parochus non est minister in Sacramento matrimonii, neque privatur per hanc censuram officio Parochi; ergo. Unde probabile etiam est, quod sic assistendo nec venialiter peccet; quia nec hoc, nec sponsis benedicere juxta multos est actus iurisdictionis. Ad 5. R. probabiliter affirmative, licet contrahens sit minister huius Sacramenti; cum enim hic actus maxime expediat salutis, non est censendus in his circumstantiis, periculo scilicet mortis, privatus activè administratione Sacramenti. Sic Hurtad. & Leander q. 19. Ceterum si Sacerdos sit excommunicatus toleratus, & se non ingerat, sed à fidelibus requiratur, licitè illis ministrabit Sacramenta ex dictis.

§. 4.

*An, & qualiter excommunicatio major privet usu passivo Sacramentorum?*

PER usum passivum Sacramentorum intelligimus eorum receptionem. Omni excommunicato excommunicatione majori prohibitam esse Sacramentorum receptionem per se loquendo, docet Castropalaus D. 2. p. 7. cum communi. Hinc per se loquendo (nisi scilicet adsit ratio excusans) peccat mortaliter in eiusmodi receptione; quia prohibitionem Ecclesiae violat in re gravi, ex c. *cum illorum*, 32. ubi excommunicatus, scienter recipiens ordines, si est Clericus secularis, in perpetuum deponendus est; si regularis, ab executione ordinis, suspendendus, si ignorantia (facti vel juris) est probabilis; & factum non est grave. c. *si quem* 59. de sent. excom. ibi: *si quem* sub hac forma verborum (*illum excommunico*) vel simili, à iudice suo excommunicari contingat: dicendum est eum non tantum minori, quae à perceptione



ne Sacramentorum; sed etiam majori excommunicacione (quæ à communione fidelium separatur) esse ligatum. Et ideo peccatum illud foret sacrilegium; quia acciperet Sacramentum in statu peccati gravis. Excusari tamen potest à peccato 1. si probabiliter ignoraret hanc obligationem, vel censuram in se, c. Cum illorum, ibi distinguendum, quod tales vel sciunt excommunicacionis se vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro quo in lata sententia Canonem inciderunt, vel factum quidem scientes, juris ignari nesciunt exinde se teneri. Quod etiam procedit, si urgeret gravis necessitas, vel ratio excusans ab obligatione præcepti positivi, quibus positus:

1893 Quæres, an excommunicatus, validè recipiat Sacramenta? R. quod excommunicatus recipiens Sacramenta (excepto Sacramento poenitentia) licet illicitè, ut constat ex n. 1876. tamen validè reciperet; quia horum valor non penderet à dispositione recipientis, nec à voluntate Ecclesiæ, sed institutione Christi. In eo autem casu possunt adesse omnia essentialia talium Sacramentorum; & arguitur ex dicto c. Cum illorum, cit. ergo; ita Suarez, Vasq. Henric. Avila, Bonacina, & Layman cum Castropalao D. 2. p. 7. n. 2. Unde quamvis aliqui doceant, quod Ecclesia possit reddere invalidum contractum matrimoniale excommunicati, de facto id non fecisse, constat ex c. significasti, 6. de eo, qui duxit in matrimonium. Dixi: extra Sacramentum poenitentia. Nam, licet etiam hoc non sit invalidum præcisè ratione excommunicacionis, quasi per illam hoc potius, quam aliud Sacramentum irriteretur; tamen ex alio capite foret irritum, defectu doloris de mortalibus, qui pertinet ad Sacramenti poenitentia essentialiam, ut suppono. Cum enim excommunicatus in susceptione Sacramenti peccet mortaliter, nequit adesse dolor de mortalibus. Aliud dicendum foret, si dolor non diceretur pertinere ad ejus essentialiam, uti dicunt nonnulli ex Theologis de Sacramento poenitentia valido, & informi ex defectu doloris universalis. Unde si excommunicatus in susceptione Sacramenti poenitentia excusaretur à peccato gravi (ut, puta, si per ignorantiam probabilem, vel necessitatem, aut Sacerdos fingeret, quod ipsum prius possit liberare à censura, vel cum potest, nolit, aut primo post absolutionem à peccatis absolveret à censura)

tali casu Sacramentum poenitentia validum esset, & ferax gratia; ita Covar. Medin. Navar. Layman, Suarez & alii cum & apud Gibalin. loc. cit. Castropal. cit. n. 3. contra Sylvest. Sot. Hurtad. & Vasq. qui tenent oppositum.

Quæres 2. An si Sacerdos alicui excommunicato tolerato (qui se non ingerit) vellet administrare Sacramentum poenitentia etiam extra causam ab obligatione censura ipsum excusantem, excommunicatus validè & licitè reciperet? R. quod sic; quia respectu communicationis, quam habet cum fidei ad eam invitante, non est excommunicatis toleratis ulla prohibitio, ut patet ex num. 1869. ita Castropal. cit. n. 6. §. Ha rationes, & Hurtad. apud Gibalin. p. 3. §. tota itaque.

Quæres 3. an, qui in excommunicacione conficit Sacramentum matrimonii, possit licitè recipere benedictionem solennem in Ecclesia, licet prius non absolvatur? R. negativè. Est enim quædam communicatio spiritualis; excipe nisi alius sacerdos non excommunicatus eam offerat, ut in simili diximus supra, & ipse sit excommunicatus toleratus, aut compars non excommunicata petat.

Quæres 4. an qui in excommunicacione recipit aliquod Sacramentum, incurrat aliquam poenam Ecclesiasticam? R. quod non, nisi Sacramentum ordinis. Ratio primæ partis est, quia nulla illi statuta est in jure: ratio secundæ partis, quia talis ex dicto c. Cum illorum, de sent. excom. suspenditur ab exercitio suscepti ordinis. Suarez, Coninch, Bonacina, Gaspar Hurtad. cum Castropalao n. 6. Loquitur autem illud capitulum, de excommunicato excommunicacione non minori, sed de tali absolutè, & simpliciter. Unde qui in minore excommunicacione reciperet Sacramentum ordinis, non incurreret illam poenam; Sic Gibalin. disq. 7. q. 3. p. 4. n. 7.

§. 5.

De ministrantibus Sacramenta excommunicatis.

Not. excommunicatis vitandis neganda esse Sacramenta, quousque absolvantur à censura, vel rationabiliter absoluti præsumantur, c. Cum desideres, 15. h. t. de quo actum est supra; licitum tamen est cum iis agere, & loqui in iis, quæ ad eorum



eorum salutem pertinent, *c. cum voluntate*, 54. h. t. ibi: cum voluntate ac proposito, maleficia distinguantur; *excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, qua ad absolutionem, vel alias ad salutem anime pertinent, in locutione participat, licet etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat.* Qui verò tali sacramentum ministrat, *preter peccatum mortale incurrit excommunicationem minorem latam in communicantes cum excommunicato vitando; & interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, quousque de transgressione huiusmodi, ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfecerit competenter, c. Episcoporum*, de privileg. in 6. cujus hæc summa est: *interdictus est ingressus Ecclesiæ regularibus, vel secularibus (quamvis exemptis) qui scienter celebrant, vel celebrari faciunt divina in civitatibus, vel locis interdictis: nisi secundum permissionem juris, vel qui excommunicatos vel interdictos publicè ad divina officia, Sacramenta, vel sepulturam admittunt.* Si verò is, cui scienter, & sponte ministrat, sit à Papa nominatim excommunicatus aut denunciatus, Minister incurrit excommunicationem majorem reservatam Papæ, *c. Significavit*, 18. de sent. excom. ibi: *Verum, Clericos, qui scienter & sponte participaverunt excommunicatis à nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi: quos etiam pro beneficio absolutionis habendo ad nos volumus cum literarum tuarum insinuatione remitti.*

1898 Denique, qui excommunicato vitando propter hæresim, vel ejus Fautoribus, Sacramentum ministrare auderet, privandus esset officio, nec restituendus absque dispensatione Papæ, *c. Excommunicamus*, 13. de hæreticis, §. *Credentes*, ibi: *Sane Clerici non exhibeant ejusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta.* Aliis verò excommunicatis toleratis non tenetur Minister negare Sacramenta ex vi censura (his enim in Sacris communicare licet) sed ex indebita eorum dispositione. Non sunt autem censendi indebitè accedere ex eo præcisè, quòd fuerint excommunicati, sed debet certò constare non esse absolutos, quod præsumere non debes; hæc Suarez, Vasq. Filliuc. Bonacin. cum, & apud Castropal. p. 7. n. 7. aliud esset, si tu illis of-

ferres Sacramentum, tum licitè communitatis carent tecum, ex dictis aliis; Excommunicato autem occulto publicè perenti Sacramenta, judicat Leander q. 21. non debere negari; cum præceptum non infamandi prævaleat præcepto Ecclesiastico de non dandis Sacramentis excommunicatis.

Si quæras, an valeat Sacramentum receptum ab excommunicato? R. affirmativè, ita Castropal. cit. n. 1. & 2. Gibalin. cit. n. 1. Escobar Theol. moral. tr. 4. Exam. 2. c. 2. horum enim valor non pendet à voluntate Ecclesiæ, sed ab institutione Christi; ergo licet Minister illicitè ponat omnia essentialia alicujus Sacramenti, etiam contra prohibitionem Ecclesiæ, validè ager; & potest etiam invitâ Ecclesiâ, si demas Sacramentum poenitentiae, cujus valor pendet à jurisdictione Ministri per Ecclesiam aufertur, quæ etiam tempore excommunicationis vitando aufertur, *c. Ad probandum*, 24. de sent. & re judicat. ibi: *Si pro eo, quod unus ex delegatis Judicibus, qui eandem sententiam protulerunt, excommunicationis vinculo esset publicè innodatus, quando sententia lata fuit, sicut per Metropolitanam literas prohibetur, aut ex alia justa causa eandem sententiam consisteret infirmam: ipsa cassata, de ipsius electione Custodis iterum cognoscatis. c. Romana*, 1. de offic. Vicar. in 6. ubi dicitur, quod qui vices agunt Vicarii, vel Officialis excommunicati, eo excommunicato manente, propter hoc excommunicationis vinculo non adstringantur, *invalide tamen agunt, quæ agunt dependenter à jurisdictione solius ab illo eodem recepta; id, quod etiam colligitur ex c. si celebret*, 10. de Cleric. excom. ministr.

Et quamvis aliqui velint, in citatis capitulis esse tantum sermonem de jurisdictione externa; rectius tamen intelliguntur etiam de interna ex communi sensu Doctorum Navarr. Avil. Covar. Laym. Coninch. Bonacin. Suarez, quos citat & sequitur Castropalaus p. 8. n. 2. Gibalin. q. 2. Unde concedo, quòd excommunicatio major, saltem indirectè privet ipsâ etiam jurisdictione Ecclesiastica, seu pendente ab indulto Ecclesiæ, extra casus, in quibus diximus validum esse Sacramentum collectum ab excommunicato tum tolerato, tum vitando.

Hinc, si approbare aliquem pro audiendis confessionibus, vel alteri dare licentiam



centiarum audiendi suorum confessiones, est actus jurisdictionis, ut affirmat Leander D. 6. q. 19. & alii, nec Episcopus, nec Prælati excommunicati hunc actum valide faciunt; quod etiam verum est de tolerato, si agat ex se, & non requisitus à fidelibus, vel extra gravem necessitatem excusantem; quia per excommunicationem privatur jurisdictione omni, ex cit. c. *Ad probandam*, & reliquis. Et hoc extendit Leander q. 10. cum Navarro, Suarez, & aliis etiam ad jurisdictionem absolvendi à venialibus contra Vasquez ibid. docentem, quod confessarius vitandus ad minus valide absolvat à venialibus.

1901 Quæres 1. an confessio mortalium facta excommunicato vitando à poenitente invincibiliter ignorante sui confessarii excommunicationem, sit invalida, & iteranda? R. doceri à Leandro cit. q. 11. cum plurimis aliis, si fiat ex errore privato, esse; si ex errore communi, non esse invalidam; quod in ejusmodi casu, propter periculum animarum Ecclesia, ubi adest talis error communis, suppleat jurisdictionem; seu, ut alii volunt, non subtrahat subjectionem Fidelium, quam fieri volunt ab Ecclesia per approbationem ad curam animarum. Cæterum, si Minister Sacramenti sit excommunicatus toleratus, & pro illo requiratur à fidelibus, licite, & valide confert quodlibet Sacramentum; pro hoc enim actu non est illi sublata jurisdictione in favorem fidelium: Secus, si directe uteretur tali casu in favorem suum, ut si sponte, nullo petente, se ingereret.

1902 Quæres 2. an excommunicatus, illicitè administrando Sacramenta, incurrat aliquam poenam? R. quod irregularitatem incurrat; excipe ministrum matrimonii. Omnis enim excommunicatus exercens illicitè actum ordinis sacri, sit irregularis; qui verò ab excommunicato vitando illicitè Sacramentum recipit, incurrit excommunicationem minorem (quia excommunicati vitandi Sacramenta illicitè ministrant) & incurrunnt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ex c. *Episcoporum*, 8. de privil. in 6. Si verò recipientes sint excommunicati à Papa, conferens incurrit excommunicationem reservatam Papæ, c. *Significavit*, de sent. excom. de quo supra; 1897. ut tamen eum adire necesse sit, requiritur, ut sit Clericus, & hoc faciat scienter, & sponte.

Tom. V.

§. 6.

An, & qualiter excommunicatus possit interesse divinis officiis?

R. Esp. cuilibet excommunicato excommunicatione majori ex vi censura simpliciter prohibita esse omnem communicationem Ecclesiasticam in divinis cum aliis, ex c. *Nuper* 29. de sent. excom. c. *Responsio* 43. eod. c. *Alma mater* 24. eod. in 6. ubi, dum quædam divida, tempore interdicti, permittuntur, ne indevotio populi crescat, & Ecclesiis debita obsequia subtrahantur, statim additur: dum tamen excommunicati non fuerint. Item c. *Sicut Apostoli*, cum tribus sequentibus, 11. q. 3. possunt tamen excommunicati Ecclesiam ingredi sine peccato, eo tempore, quo divina officia non celebrantur; hoc enim nullo jure est illis prohibitum, imò etiam, cum eo tempore divina officia celebrantur, si non faciant animo orandi oratione communi, vel illis assistendi, sed ex alia causa, v. g. quia commodior est transitus &c. tunc enim in nullo quoad divina directe cum aliis communicant; imò licet, esto alii sint ibi privatim orantes, ibidem privatim orare; quia sic, si singuli privatim orent, non communicant in oratione.

Dubitarum tamen 1. an excommunicatus divinis officiis, quæ in Ecclesia fiunt, cum aliis assistere possit? R. quòd non; sic enim cum illis in re sacra communicaret, contra n. 1860. est communis. Unde nec excommunicatus toleratus assistit licite sacrificio missæ, c. *Illud*, de Cleric. excom. ministr. c. *ult.* de sent. excom. in 6. excipe, nisi requisitus à fidelibus. Excommunicatus vitandus, culpabiliter assistens sacrificio, incurrit tantum excommunicationem minorem; alia enim poena in jure expressa non est, ut vult Castropalaus, sed probabilius est, quòd nec hanc incurrat; hic enim non communicaret cum alio excommunicato vitando; excipe, nisi esset Sacerdos sua autoritate coram se celebrari faciens 2. nisi monitus noluerit exire. Nam ob hanc contumaciam incurrit excommunicationem Papæ reservatam, c. *Eos*, de sent. excom. & Clement. 2. eod. tit. Si autem Sacerdos exemptus à potestate Episcopi, celebraret coram excommunicato vitando, præter peccatum mortale, & minorem excommunicationem, incurret

H h h

reret



- reret etiam interdictum ab ingressu Ecclesie, per cit. *c. Episcoporum*, de privil. in 6.
- 1905 Dubitatur 2. An si tempore sacrificii quidam excommunicatus vitandus eidem assistere vellet, teneantur alii assistentes eum monere, ut exeat; ac renuentem, si possunt, eicere? *ꝛ.* quòd sic; & si non possent, missæ sacrificium (ur aliqui docent) consecratione nondum factâ, intermittendum esse; velut alii, si nondum inceptus est canon. Si verò inceptus est canon, vel peracta consecratio, teneri Sacerdotem factâ sumptione, reliquis omis- sis, in Sacristiam recedere, vel in alium idoneum locum, ibique, quod superest, absolvere, *c. Is, cui*, de sent. excom. & Clement. 2. cod. Assistentes verò, cum ille recedere non vult, etiam pergente Sacerdote in Missâ, relicto solo ministro, teneri abire, ne cum excommunicato in eadem oblatione communicent; Layman, Avila, Bonacina cum Castropalao p. 9. n. 5. quod tamen non requiritur, si tempore Sacrificii inferretur in templum cadaver excommunicati vitandi, Gibalin. q. 5. n. 8. *s. ut verò.* Cæterum non videtur impro- babile, quòd si fideles in priori casu præ- sentis excommunicati vitandi à Missâ non recederent, plus, quàm culpam venialem non committant, sin per hoc ipsi non sint illi causa manendi; ita Henriq. Sayr. Filliuc. Bonacin. apud Castropal. n. 5. in fine.
- 1906 Dubitatur 3. An excommunicatus vitandus, ut satisfaciat præcepto Ecclesie de audiendo sacro diebus festis, teneatur procurare absolutionem à censura; negant Ugolinus, Sayrus, Coninch, Navar. Henriq. Avila, Suarez, Bonacina, Castropalao, quia præceptum illud non ligat, nisi aliunde expeditis ad ejus impletionem: idem censet Gibalin. q. 5. de confessione propter Communionem Paschalem, contra Coninch, & alios, docentes opposi- tum. Cæterum si in eadem Ecclesia essent plures Missæ, & unam audiret excommu- nicatus; alteram non excommunicatus, hiclicitè pergeret; Leander D. 7. q. 41. sed in praxi quis sciet intentionem ejus? nisi forsân id prodat conversio corporis ad aliam aram.
- 1907 Dubitatur 4. An, & qualiter excom- municatio major privet recitatione hora- rum Canonicarum? *ꝛ.* si dicantur publi- cè, nomine Ecclesie, excommunicatum vitandum, nec posse simul cum eis dicere, nec assistere; sic enim communicaret cum illis in divinis, patet ex *c. Responso. c. Signi- ficavit*, *c. Nuper*, de sent. excom. tolera- tum solum posse, cum à fidelibus requiri- tur; aliter enim non est illi permessa com- municatio. Hinc secus facientes, ambo, juxta complures, peccant mortaliter, quia violant in re gravi prohibitionem Ecclesie. Ex quo sequitur, quemlibet eorum esse de- obligatum à recitatione publica Breviarii, si prius tenebatur; non tamen à privata, si aliàs adstrictus erat; ita Navar. Covar. Avila, Sayr. Bonacin. Suarez, Layman, quos citat, & sequitur Castropalao p. 9. n. 7. Cuilibet enim privato permittitur hora pri- vata, Gibalin. q. 5. n. 6. hinc patet ratio prioris, cur teneatur privatim, cum enim possit præsentem aliunde obligatione, tene- tur; quod verum est, licet obligetur titu- lo beneficii, cujus fructibus privatur ratio- ne censura. Nec enim decet, ut sua culpâ deobligetur ab onere, quod exequi licitè potest; Gibal. cit. *§. Difficilis*; deberet ta- men tunc omittere *ly Dominus vobiscum*; hoc enim est actus personæ publicæ. Avila tamen, & Hurtad. apud Castropalao, censent, si diceret, non peccaturum etiam venialiter; potest enim censeri oratio pri- vata; nam aliàs pluribus abstinere deberent breviario.
- Dubitatur 5. an peccet graviter, qui cum excommunicato vitando privatim orat horas Canonicas? Negative respon- det Castropalao n. 9. imò si is, qui ad si- mul dicendum officium Canonicum invi- tatur ab excommunicato vitando, sit ejus famulus, vel Capellanus &c. idque faciat ob aliquam necessitatem, vel etiam corporalem utilitatem excommunicati, nec venialiter peccabit; ita Suarez, Bonacina, cum Castro- palao cit. famulus enim non privatur com- municatione sui Domini in iis, in quibus ei deservire tenebatur, *c. quoniam multos*, 11. q. 3. neque hoc auxilium numeratur inter ministeria Ecclesiastica, sed quasi cor- poralia.
- Dubitatur 6. quid dicendum de ex- communicatis quoad conciones, lectio- nes, & processiones publicas? *ꝛ.* cum omnis excommunicatus privatus sit actuali celebratione vel auditione divinarum offi- ciorum, sequi, quòd nullus eorum, nec toleratus (nisi fidelium invitatu) vel ut Sacerdos in processione publica, vel lytanis, vel ut aliorum socius in his comparere possit. Idem



Idem est de solenni benedictione aquæ, candelarum & fructuum, vel epistolæ aut evangelii cantatione: vel aliâ quacunque solenni functione propria alicujus ordinis; Suarez D. 12. f. 2. & alii V. *causam*, 11. q. 3. item c. *significavit*, de sent. excom. c. *Is cui*, eod. in 6. c. *Sacris*, de iis, quæ vi.

1910 Hoc tamen limitandum est, ut excommunicatus etiam vitandus licite possit assistere concioni, per c. *Responsio*, de sent. excom. non autem lectioni Theologiæ, vel juris Canonici; sic Castropalaus cit. n. 11. illud enim ordinatur proximè in bonum, & desistendum à contumacia, non illud. Verùm melius placet ratio ex clara definitione Pontificis in cit. c. *Responsio*, ubi Ferrariensi Episcopo rescribens sic loquitur: responso nostro postulas edoceri, cum Ferrarienses cives excommunicationis, & interdicti sententiis sint ligati, *an liceat tibi viros, & mulieres simul in hebdomada, vel in mense apud aliquam Ecclesiam convocare, quibus prædicas verbum DEI, & eosdem ad correctionem inducas.* Super quo f. t. respondemus, quod *sine scrupulo conscientie hoc facere poteris*, cum videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum officium celebretur. Præterea quæsiisti, cum Ferrariensis civitas interdicta sit, & excommunicationi supposita, & ideo sint ibidem præter baptismi parvulorum, & poenitentiam morientium, universa Sacramenta Ecclesiastica interdicta, *an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare?* Super quo tibi taliter diximus respondendum, quod *sicut baptizari pueri possunt, sic & baptizati ad confirmationem in frontibus a te possunt sacro chrismate deliniri*; ex quo sequitur nomine divinorum officiorum non venire concionem. Concionari tamen non potest excommunicatus etiam toleratus, nisi requisitus à fidelibus; quia aliter non licet illis cum his communicare. Interesse autem lectioni juris Canonici non est prohibitum, quasi pertineret ad divina officia, sed ratione communicationis veritatis, quæ in nullo excipitur, sicut interesse concioni.

1911 Dubitatur 7. an si excommunicatus sua sponte, quasi ex officio prædiceret, fiat irregularis? Ad hoc respondet Leander q. 21. negative; quia prædicare, inquit, non est actus ordinis, sed tantum jurisdictionis. Cætera verò, quæ sunt devotione privata, & more Laicorum, ut benedicere mea-

Tom. V.

se, signate se cruce, comitari Eucharistiam ad agrum, docet Gibalino q. 5. n. 12. ab eolicitè fieri.

Dubitatur 8. an Lector Theologiæ, vel juris Canonici, possit suis discipulis publicas lectiones prælegere, si ipse sit excommunicatus vitandus? R. quod non; hæc enim esset quædam cum illis communicatio in humanis. Si verò nec Lector, nec discipuli sint excommunicati, & tempore lectionis accedat alius excommunicatus vitandus, qui depelli non potest, videtur per se loquendo non teneri Lectorem desistere ob commune bonum, ne auditores suo consueto fructu destituantur; ita Suarez D. 12. f. 2. n. 3. Henricq. Filliuc. Coninch cum Castropalao n. 12. contra Bonacini & Avilam.

Dubitatur 9. quid dicendum de usu rerum sacrarum? ante respons. not. Sacramentalibus, ut aquæ benedictæ, grani, icunculis, & similibus, licet illis indulgentiæ annexæ sint, duplicem usum inesse; unum, ad consequendum fructum, qui provenit nomine Ecclesiæ; alterum, ex operatione privatæ intentionis, quam habet illis utens; his positis; R. quod nullus excommunicatus possit illis uti ad lucranda indulgentia, vel deprecationem Ecclesiæ, sibi applicandam, ex communi principio dato n. 1704. quatenus tamen deserviunt ad usum privatæ intentionis, illa licite usurpat; Suarez D. 12. de cens. S. 2. n. 8. Gibalino n. 28. & alii; hinc isto secundo modo licite utitur imaginibus, adorat Eucharistiam, &c.

Dubitatur 10. quid dicendum de oblationibus excommunicati? R. spontaneas oblationes sacras excommunicati vitandi, sive offerantur DEO immediate, licet deinde cedant in usum Ministrorum Ecclesiæ; sive immediate ipsis Ministris, ut pro ipso preces fundant, non esse recipiendas, doceri à Gibalino q. 5. n. 13. qui ait, hoc jam olim fuisse sancitum ab Apostolis; sed limitari, nisi fiant per modum elemosinæ; tum enim recipi posse, concedit ibid. §. *an verò*. Si autem debita sint alio titulo (ut quia testamento relicta, & excommunicatus tanquam hæres persolvere cogatur) Ecclesiam posse illas recipere, & ad persolvendas illum etiam censuris compellere, ibid. §. *ago etiam*.

Dubitatur 11. an excommunicatus possit sepeliri sepulturâ Ecclesiasticâ? De Hhh 2 excom.



excommunicato tolerato responsio est affirmativa: intellige, si non sit hæreticus, ac in hæresi notoriè mortuus. Et quamvis hæreticum, qui notoriè decessit in hæresi, esto non sit vitandus, licitè sepeliri in Ecclesia affirmet Henriquez l. 13. c. 11. n. 3. quia id prohibetur solum, quatenus ei mortuo non licet communicare, cui non licebat vivo; meritò tamen negat Diana p. 9. tr. 8. resol. 1. quia esto verum sit, prohibitionem non esse vi excommunicationis, est tamen vi notoriæ hæresis, in qua decessit, c. *sicut*, de hæret. Sic Filiuc. tom. 1. tr. 22. c. 7. n. 229. Trullench. in decal. tr. 1. l. 1. c. 3. dub. 14. n. 1. de excommunicato autem vitando *re. negativè*; ratio primi est, quia prior, cum ex consortio fidelium non sit ita exclusus, ut ipsi communicare non liceat, juxta Concilii Constantiensis extravagant. *Ad evitanda*, licitè potest honore funebri sepeliri; sic Escobar cit. tr. 4. exam. 2. c. 2. ratio secundæ est ex c. *Sacris*, de sepulturis. Rationem dat Innocentius III. *ut, quibus non communicavimus vivis, non communicemus mortuis*; quo confirmari etiam potest pars prima; & ideo excommunicatus vitandus in hac censura mortuus, nec absolutus, non potest in loco sacro more Christianorum sepeliri, nisi prius absolvatur.

1916 Dubitatur 12. an sepelientes talem in loco sacro, graviter peccent? *re. affirmative* cum communi; quia violant prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Olim, jure antiquo, incurrerant excommunicationem minorem, qui excommunicatum sive publicum, sive occultum in loco sacro sepeliebant: nunc verò jure novo in Clement. de Sepulturis, c. 1. ipso facto excommunicantur, qui excommunicatum vitandum, aut nominatim interdictum, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, sepulturâ scilicet sacrâ & ecclesiasticâ; hoc verum est, licet aliàs exempti sint. Hinc si isti exempti nolint sepulti cadaver exhumare, id præstabit Episcopus non obstante illorum exemptione, ut dicitur loc. cit. cujus verba sunt: eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cæmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à jure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt: *Decernimus ipso facto*

*excommunicationis sententia subjacere: à qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diocesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactio nem exhibuerint competentem: Nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio sub quacunque forma verborum concessio aliquantè suffragante.*

Si quæras 1. quid intelligatur per *sepulturam Ecclesiasticam*, quâ privantur excommunicati vitandi? *re. hujus vocis acceptio nem stare non tantum pro inhumatione cadaveris in loco sacro, sed etiam pro illo actu, quo cadaver sepelitur more Christiano, adhibitis scilicet caremoniis in Ecclesia consuetis, licet in loco profano; ita Gibalin. disquis. 7. q. 2. ex Glossa, s. item quæritur, 13. q. 2. & c. quæst;* ead. causa, & quæst. per locum autem *sacrum* intelligitur omnis ille locus, qui vel ad sacras functiones, vel ad fidelium sepulturas destinatus est; & quamvis in Clem. cit. de sepult. solum in eos statuatur excommunicatio, qui excommunicatum vitandum sepelunt in Cæmeterio, hoc tamen à fortiori intelligitur de templo, & ejus ambitu, & omni loco sacro; & patet ex aliis iuribus, quæ clarè prohibent eum sepeliri in loco sacro cujus nomine utique venit templum, &c.

Quid autem impotter hic terminus *Et. 1916* *delesiasticè sepelire?* planè diversa sunt opinioniones. Mihi videtur probabilior opinio Gibalini, qui cum Alterio, & Ugolino docet, supponere pro omnibus illis, qui non tantum sepeliunt suis manibus, sed etiam mandant, vel proximè cooperantur ad talem sepulturam, quatenus sacra, & Christiana est, de cujus substantia, præter tumulationem, videretur locus sacer, recitatio psalmodum, & divini officii, aut saltem alterutrum ex his. Ne autem hæc Clementinæ consuetudo inutilis reddatur, videntur etiam comprehendi mandantes, & Prælari Ecclesiæ, vel etiam Laici (sed solum accessoriè) qui cum impedire possint, tamen permittunt. Aliàs enim sæpè fieret, ut vitandus Ecclesiasticâ sepulturâ condatur, quin ullus hanc Clementinæ censuram incurreret, nisi fortè vespillo rudis, qui tamen etiam ob ignorantiam excusari possit, his positis:

Inferes 1. excommunicatum vitandum 1916 in nullo loco sacro sepeliri posse; consequenter nec in templo, nec in cæmeterio, nec in ambitu templi &c. nec etiam in loco profa-



profano, sed consuetis Ecclesie ceremoniis adhibitis; hæc enim etiam est sepultura Ecclesiastica; ita Gibalin. disquis. 7. q. 2. n. 31. contra Bonacin. D. 2. q. 2. de cens. in partic. p. 30. & Suarez D. 13. s. 4. n. 13. sepulturam in loco profano factam cum consuetis Ecclesie Ceremoniis, negantes esse Ecclesiasticam, prout prohibetur *c. quicumque*, de hæreticis in 6. quod verum est, loquendo de actu Ecclesiasticè sepeliendi, secundum omnia inclusa in illo; non autem secundum aliqua. Cæterum sepeliri possunt in loco non sacro, sine consuetis ceremoniis, licet propinquus, aut contiguus sit Ecclesie, vel cœmeterio; quia sic nihil fit contra prohibitionem Ecclesie.

1920 Inferes 2. cum eo, qui mortuus est in excommunicatione majori, ob quam erat vitandus, nec absolutus, etiam post mortem à fidelibus communicationem directam haberi non posse; ita Gibalin. cit. n. 32. & *c. Sacris*, de sepulturis, ubi Innocentius III. hoc expressè definit; ex quo sequitur, eos, qui *remotè*, non *proximè*, ad talis excommunicati sepulturam Ecclesiasticam concurrunt, incurere excommunicationem minorem, propter communicationem cum excommunicato vitando; Gibal. cit. *s. qui tamen*.

1921 Inferes 3. poenam Clementinæ, de qua n. 1916. in omnes illos statui, qui proximè concurrunt ad excommunicati vitandi sepulturam sacram, & Ecclesiasticam, quæ talem. Tales autem sunt, qui cadaver suis manibus tumulant, locum sacrum concedunt; vel, cum possunt impedire, non impediunt, qui hoc fieri mandant, qui psalmos, & divina officia peragunt. Hi enim omnes cooperantur proximè ad sepulturam Ecclesiasticam, quæ talem. Qui verò corpus defuncti lavant, induunt, comitantur, pulsant, crucem, & funera deferunt, tantum remotè concurrunt, ut dictum est; ac proinde sunt immunes hujus censure; non tamen illius, de qua diximus n. præced.

1922 Inferes 4. quod hi, qui proximè concurrunt ad sepulturam Ecclesiasticam excommunicati vitandi, quæ talem, non incurant excommunicationem minorem, sicut illi, qui remotè, de quibus ante. Nam excommunicatio minor statuta in scienter communicantes cum excommunicato vitando in hoc casu, & quoad istos, per dictam Clementinam commutata est

in excommunicationem majorem; ita Suarez D. 12. s. 2. n. 13. Castropal. D. 2. p. 6. n. 16. Gibalin. cit. n. 33. de poenis sepelientium, *s. Secundo*, apud Leandrum, D. 8. q. 11.

Inferes 5. quòd, quamvis graviter peccent, qui excommunicatum vitandum sepeliunt in loco etiam profano cum pompa funebri in Ecclesia solita (cum expressè prohibitum sit; tales afficere Ecclesiasticè sepulturà) posse tamen excusari à censura Clementinæ, juxta probabilem sententiam Leandri q. 12. docentis, quòd, qui vitandum cum solemnì pompa sepeliunt in loco planè profano, non violent hanc constitutionem; quia Clementina, quæ imponit hanc poenam, loquitur solùm de sepelientibus *in cœmeterio*, hoc est, *in loco sacro*; ita ille.

Inferes 6. ut quis incurrat censuram Clementinæ, requiri in delinquente *scientiam*, id, quod etiam requiritur ad contrahendam excommunicationem minorem, propter communicationem cum excommunicato vitando, ex *c. significavit, c. cum desideres*, de sent. excom. Item ad priorè poenam requiri, *audaciam, temeritatem, presumptionem, & contemptum*; ut colligitur ex Clementina cit. in n. 1916.

Inferes 7. excommunicationem contra sepelientes excommunicatum, non esse reservatam juxta Gibalinum cit. *s. absolutio*, non posse tamen validè dari, donec qui illam contraxit, satisfecerit illis, quibus injuria fuit irrogata. Dicitur enim in Clementina *nullatenus absolvatur*, quæ particula æquivaler legi, vel decreto irritanti, ut docet Sanchez l. 1. de matr. D. 32. n. 6. & l. 6. D. 32. n. 7. apud Portel. p. 1. casuum, casu. 12. n. 2. iis autem est danda satisfactio, vel in quorum favorem lata est censura; vel quibus tali casu aliquid perit, aut damnum, vel injuria, ex ea tumulatione contingit, quod ex novis circumstantiis colligere incumbit Episcopo, ad cujus arbitrium exhiberi satisfactionem statuit Pontifex.

Inferes 8. si per violentiam illatam Parocho, aut metum propinquorum excommunicatus vitandus in loco sacro sepeliretur, & ossa illius discerni possent ab ossibus fidelium ibidem sepulcorum, cadaver illius exhumandum esse, & procul à loco sacro projiciendum; si verò non possent discerni, non debere ossa fidelium si-



mul exhumari, sed permitti posse omnia simul, ut dicitur *c. Sacris*, de sepulturis, & *c. ad hæc*, de privileg. Locus autem ille, in quo reliquorum ossa permixta cum ossibus fidelium, debet reconciliari, ut sit habilis ad divina officia; non enim impedit reconciliationem, cum in his circumstantiis ille locus sit quodammodo occultus; nec illius violatio, quæ in illatione, vel sepultura talis cadaveris commissa est, perpetuò iteretur, ut fit in alio casu; ita Suarez l. 4. D. 10. c. 6. cum Gibalino disq. 7. q. 2. n. 32. Quod autem locus sacer ejusmodi cadaveris tumulatione impietur, & reconciliari debeat, patet ex *c. consulisti*, de consecr. altar. & Ecclesiar. Si tamen res occulta sit, non peccant, qui in eo loco divina peragunt. Coeterum quando incurritur excommunicatio propter hæreticum denuntiatum sepulturæ traditum, requiritur etiam ante absolutionem, præter satisfactionem, ut, qui publicè illum sepelivit, illum propriis manibus extumulet; & deinde locus, in quo talis hæreticus tumulatus fuit, perpetuò careat sepulturâ, ex *c. qui canque*, de hæreticis, in 6. quod intellige *de loco adæquato cadaveri*. Nam reliqua Ecclesia potest expiari; ac in ea deinde concedere licebit fideles; ita Bonacina, & Alterius apud Josephum Gibalinum de sacra jurisdictione, disq. 7. q. 2. in fine.

## ARTICULUS. V.

*An, & qualiter excommunicati sint inhabiles ad beneficia Ecclesiastica?*

1927 **Q**uæstio est, an excommunicatio major privet hominem ipso facto beneficiis ante ipsam obtentis? *sc.* quod non, ita Suarez D. 13. S. 1. n. 1. in *c. pastoralis*. 13. §. *verum*, de appellat. ibi: & *illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesia communicatio denegatur*; ergo supponit Pontifex non amitti beneficium durante excommunicatione. Et licet *diu perseveraret* in excommunicatione (hoc enim est *in ea infortescere*) quæ lata est ob contumaciam in causâ civili, non debet privari per Judicem (hoc enim in nullo jure expressum esse, docet Leander q. 2.) secus, si esset excommunicatus pro crimine hæresis, vel alio, ipso jure privante Reum beneficio, & per annum integrum in ea excommunicatione infortescat; tum enim ipso jure est privatus beneficio. Si verò excommunicatus

per annum perseverat in excommunicatione, lata ob contumaciam super crimine, quod dignum est privatione beneficii per sententiam, non autem habet annexam ipso jure; tunc non est privatus post annum, sed per sententiam privandus; eò quod tunc habeatur pro convicto vel confesso; ita Leander cit. cum aliis, Gibalin. disq. 7. q. 7. n. 44.

Ex hoc nota, quòd in multis textibus, quibus nonnulli probant per infortescentiam privari fideles beneficiis prius legitime obtentis, ejusmodi infortescentiis negatur tantum audientia. Deinde, quando in *c. cum bone*, de ætate & qualitate, ordinandi suspensi per triennium privantur beneficiis, sermo est primò de acquisitis tempore suspensionis. 2. De privatione non propter infortescentiam in censura, sed ob contemptum Sedis Apostolicæ, de quo ibidem loquitur Cœlestinus III. Unde quando Clerici quandoque jubentur privari suis beneficiis, id non est ex mora, quam habent in excommunicatione; sed vel ex causâ, ob quam censura lata est; vel ex natura ipsius excommunicationis, quam non immutat major, vel minor mora in illa; similiter, antiqua jura nihil omnino habent de Clerico deponendo propter infortescentiam in excommunicatione; semper enim est ex alio capite. Vide Gibalinum cit. D. 7. q. 7. n. 44.

Not. 2. ex Joanne Streinio in prole. 1919 gom. juris Can. §. 8. de leg. pœn. quando legi pœnali, ipso facto privanti omni titulo, dominio officii, vel beneficii, additur hæc clausula: *absque alia declaratione*, eam intelligendam, de declaratione, quæ declaretur *pœnam incursum esse*; non autem, quæ declaretur, *crimen esse commissum*; hinc dicit, Reum quidem ex vi talis legis, amittere titulum, & dominium beneficii; retinere tamen possessionem, quæ privari nequeat ante sententiam declaratoriam criminis. Sic enim receptas esse ejusmodi leges, & habere usum; ita ille ex Lef. sio & Barbofa ibid. n. 5. & seq.

Not. 3. qui elapso anno excommunicati-<sup>1920</sup>onis, quam per id tempus solvi non procuravit, adhuc in ea manet, sive lata sit ob causam criminalem, sive civilem haberi suspectum de hæresi, ex Trid. Sess. 25. c. 5. & quamvis nondum ut hæreticus damnari possit; citari tamen posse, ut respondeat de fide; si noluerit, damnandum esse.



esse ut hæreticum per *c. excommunicamus*, §. qui autem, de hæreticis, & *c. cum contumacia* cod. in 6. ad annuam autem infordefcentiam requiritur 1. tempus completum, 2. continuum, non interruptum 3. pervicacia, & contemptus clavium, 4. sententia saltem declaratoria hujus criminis, seu infordefcentiæ.

§. I.

An collatio beneficii facta excommunicato vitando sit ipso jure nulla?

1931 **R**esp. affirmativè, si collatio facta sit eo tempore, quo erat in statu dictæ excommunicationis. Ex quo sequitur talem collationem non tantum esse illicitam, sed etiam irritam, nisi accesserit dispensatio tacita; vel expressa. Ratio est ex *c. Pastoralis*, de Cleric. excom. ministr. Ubi Innocentius III. dicit, quod *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica beneficia conferri non possunt; nec illi valeant retinere licet, nisi forte fuerint misericorditer dispensati; Cum ea non fuerint Canonice consecuti*. Et ratio est, quia cui primo, & per se prohibetur actus, illi etiam submovetur principium talis actus; sed Clerico tali primo & per se prohibetur actus, cujus principium proximum est novum jus, quod acquiritur collatione beneficii; ergo ei etiam submoveretur hoc principium. Ma. est ex solemni regula; quam tradit Panormitanus apud Gibalinum Disq. 7. q. 7. n. 3. Min. etiam patet, quia novum jus ad beneficium est propter officium illi annexum, quod consistit in communione sacra cum fidelibus, quæ primo, & per se tali excommunicato prohibetur ex dictis; ergo reverà, sicut est inhabilis ad actum, sic erit inhabilis ad recipiendum novum principium talis actus.

1932 **Q**uæres, an omnis excommunicatio major inducat inhabilitatem acquirendi beneficium? R. affirmari à Leandro D. 9. q. 4. & communi cum illo; negari tamen ab Hurtado, Navarro, Lessio, & probabiliter etiam à Suarez, & Felino apud Gibalinum cit. §. *Verum*, qui censet, collationem beneficii factam excommunicato tolerato, validam quidem esse, elidi tamen posse, & irritari exceptione excommunicationis contractæ à collatario. Mihi negativa videtur probabilior, quæ scilicet negat de omni, & concedit solum de excommunicatione denunciata, vel quam incur-

rit notorius Clerici percussor; quia excommunicatio major inducit hanc inhabilitatem solum, in quantum non licet ei uti communicatione cum fidelibus, quam tamen requirit beneficio annexum officium; sed hæc communicatio licet excommunicatis toleratis, saltem ad instantiam fidelium; ergo.

Not. autem, duplex esse jus ad officium, 1933 & beneficium; jus in re, quod est jus plenum, & completum nullo alio indigens, quo compleatur; & jus ad rem, quod est jus solum inchoatum, & ulterius perfici debet, completurque per confirmationem, vel institutionem; tale jus dant electio, vel præsentatio; & qui habet solum jus ad rem, seu beneficium, non ita illud obtinet, ut ejus morte dicatur beneficium vacare. Jus porro, quod aliquâ exceptione elidi potest, dicitur debile, & infirmum; ejusque collatio irrita, & nulla; quia, cum jus, quod facillè eliditur, perinde sit, ac nullum, sic se habet jus debile, ejusque collatio, acsi nihil conferret; Sic Gibalinus cit. Disq. 7. q. 7. n. 2. quo posito: deducitur 1. omnem excommunicatum vitandum esse incapacem, & inhabilem ad acquirendum jus novi beneficii, collationemque proinde nullam esse, quæ sit eo tempore, quo excommunicatus vitandus est: excommunicatum verò toleratum non esse incapacem ad ejusmodi nova beneficia validè recipienda, saltem cum requiritur ad hoc à fidelibus.

Deducitur 2. collationem beneficii 1934 factam excommunicato vitando, etiam invincibiliter ignorantem se talem esse, adhuc invalidam esse, quia talis reverà inhabilis est, sicut reverà est excommunicatus vitandus; & ignorantia inhabilitatem non aufert; Secus est, si quis tempore collationis credebatur excommunicatus, sed falsò. Talis enim reverà inhabilis non est; vel si fuit excommunicatus per sententiam, sed nulliter; secus, si tantum injustè, sed validè; manet tamen inhabilis, licet errore communi, sed falsò, habetur pro absoluto à censura; sic Gibalinus Disq. 7. q. 7. n. 7. & cum illo Suarez, Coninch, Layman. &c.

Sed quid si eligeris ad beneficium tem- 1935 pore, quo habilis es, sed acceptes, dum es excommunicatus vitandus, eritne acceptio valida? affirmat Leander q. 9. contra Suarez, Vasquez, Coninch, Hurradum, & Layman, qui negant. Gibalinus autem



autem censet q. 7. n. 31. esse validam, & efficacem, quoad declarationem consensu, & voluntatis; non tamen quoad jus novum acquirendum, vel prius collatione acquisitum, complendum; quia quàm diu quis est vitandus, est inhabilis novi juris acquirendi per ordinem ad actum primò & per se vitatum à censura, ex n. 1931. Hæc sententia conciliat sententias dissidentes, & præ reliquis placet. Excommunicatio enim non tollit, quò quis voluntatem suam ritè declaret: c. *pro illorum*, de præbendis, c. *Si verò*, de sent. excom. c. *decernimus*, cod. in 6. & c. *Significasti*, de co, qui duxit &c. affirmat etiam Escobar Theol. mor. c. 4. Exam. 2. n. 3.

1936 Ex hoc fit, quòd, cum quis in statu excommunicationis acceptat beneficium, collatum in statu, quo aptus erat eligi, nihil quidem desit ad plenum jus beneficii, cum adsit collatio & acceptatio; jus tamen in actu secundo non acquiratur plenè ante absolutionem à censura; hæc enim ponit obicem formæ quoad effectum formalem subiecto tribuendum. Unde hoc ablato non est opus ullà novâ collatione vel acceptatione; ita Gibalinus cit. Licet ante absolutionem à collatore possit irritari collatio; quia quàm diu adest obex, non habet jus plenum, sed tantum inchoatum, quod exceptione excommunicationis irritari potest ex dictis. Si verò ejusmodi collatarius ante obtentam absolutionem moriatur, beneficium ejus morte non vacat; quia non habebat jus plenum in re, quoad actum secundum. Nam ad hunc acceptatio fuit inutilis, propter obicem, ita Covar. & alii, quos citat, & sequitur Gibalin. q. 7. n. 31. sub finem.

1937 Dices 1. consensus matrimonii durante impedimento dirimente expressus est irritus; ergo etiam consensus, seu acceptatio expressa durante excommunicatione. Secundo Episcopus electus & confirmatus incidens in excommunicationem, repellendus est à consecratione; ergo similiter ab acceptatione, qui factus est inhabilis ad acceptandum. Confirmatur: excommunicatio reddit excommunicatum inhabilem ad beneficium; ergo etiam ad acceptandum, ne acceptet personam indignam. 32. ad 1. N. consèq. quia consensus in matrimonium non est pura conditio ad jus in corpus alterius: acceptatio verò est pura conditio ad jus in beneficium, consensus

enim tribuit jus, non acceptatio. 32. ad 2. antecedens concedi à Castropalao D. 1. p. 10. n. 18. N. consèq. quia per consecrationem confertur jus, non per acceptationem. Ad consèq. 32. dist. reddit illum inhabilem ad acceptandum beneficium collatum tempore excommunicationis C. collatum extra excommunicationem, N. ant. ad probat. similiter 32. esse personam indignam beneficio collato in, non extra excommunicationem.

## §. 2.

An, qui post absolutionem ab excommunicatione acceptat beneficium, sibi collatum, dum erat vitandus, indigeat nova collatione, ut valeat acceptatio?

R Esp. negari à Navarro, & Henriquez 193 & probabile censeri à Layman, ac Lessio apud Castropalatum n. 19. Sed rectius affirmari ab isto p. 10. n. 20. Gibalino cit. n. 32. Leandro q. 11. & apud hos Bonacina, Hurtad. Coninch, & alii, quia acceptatio valida supponit collationem validam, sed illa collatio non fuit valida ex dictis; ergo nec acceptatio, ergo requirit novam collationem, unde nec collatio beneficii non vacantis revalidatur per subsequentem vacationem, quod enim prius nullum fuit, non potest revalidari per subsequens; sed debet validum fieri per aliud quod potens conferre valorem.

Dices: Collatio prius facta perseverat 193 virtualiter; ergo cum accesserit acceptatio legitima, effectuum suum sortietur. Illam quidem, si voluntas collatoris interim rescissa non est, perseverare; sed tamen per acceptationem non revalidari, cum prius defectu illius non fuerit invalida, sed defectu alterius. Excommunicatio enim major collationem beneficii adeo facit nullam, ut non convalescat post absolutionem, nisi revocetur, c. *Cum bona*, 8. de ætat. & qualit. ubi dicitur, quòd qui sterit per annum in suspensione, priverit beneficio, quod prius habebat; & quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere, c. *postulatis*, 7. cum Glossa, & ei annot. de Cleric. excom. ministr. quod videtur ex eo deduci, quia voluntas collatoris tempore excommunicationis fuit nulla, hoc est, perinde se habuit, ac si canonica collatio facta non esset; ergo dici non potest perseverare ut que post absolutionem; quod enim non fuit, non dicitur perseverare.

Sed,



1940 Sed, quæres, an saltem possit Papa, vel Episcopus absque nova collatione, vel expeditione literarum dispensare, ut quis post absolutionem ab excommunicatione, licet retineat beneficium, quod ei tempore excommunicationis collatum fuit? Sanchez negat; alii verò, ut Navarrus, & Felinus affirmant apud Leandrum cit. q. 12. quia dispensatio æquivaleret novæ collationi; quod probabiliter dicitur, si dispenseret in radice nullitatis, qualiter quandoque dispensatur in radice matrimonii cum natis illegitimè; modò dispensatio fiat ab iis, qui beneficium conferre possunt; ita Gibalinus cit. n. 13. Pro cuius ulteriori resolutione:

1941 Nota, duplicem esse dispensationem, tacitam, & expressam. Tunc autem est tacita, quando Pontifex sciens aliquem in censura, nihilominus confert beneficium. Sic enim censetur illum solvere quoad illum effectum, atque adeo beneficii obtinendi capacem reddere. Dispensatio autem expressa datur in rescriptis Pontificiis, aut etiam à Legatis à latere, cum ponitur clausula *reque absolventes ad effectum gratiæ* duntaxat impetrandum; quoposito: aliqui docent, Papam etiam tacite posse dispensare in dato casu; non autem Episcopum, aut Prælatum inferiorem; ita Panormit. Felin. Sayrus, & alii apud Gibalinum cit. q. 7. n. 13. Sed is contrarium tenet, & melius, si excommunicatio tolli possit per Episcopum, ut si reservata non sit.

1942 Si autem sit expressa, pariter affirmandum est. Nam ea clausula reddit omnia rescripta, & gratias effieaces, ac validas non obstante excommunicatione; Sic Navarrus, Gutierrez, Henriquez, Ugolinus, Sayrus, Avila, Bonacina, quos citat, & sequitur Gibal. n. 16. excipe, si non sint tales censurae, quæ hac generali clausula non tolluntur. Talis est excommunicatio facta ob hæresim, ut cum communi docent Navarr. Ugolinus, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus D. 2. p. 10. n. 27. Eadem clausula non prodest infordecentibus per annum in excommunicatione, ex stylo curiæ Romanæ, juxta regulam *de infordecentibus*, teste Navar. Henriq. Avila; neque infordecentibus per quatuor menses in excommunicatione ob crimina bullæ cænæ, vel similia; ita Castropalaus cit. ex ead. regul.

Tom. V.

Ex hoc inferes 1. si collatio, vel electio beneficii tempore excommunicationis facta pertineat ad Ordinarium Collatarii, Collatarium licet retinere beneficium ex dispensatione Ordinarii valentis dispensare in illa inhabilitate; Sic Castropalaus cit. p. 10. n. 22. Talis enim dispensatio æquivaleret novæ collationi, ex dicto *c. postulatis*, ubi dicitur, quòd, *ut clerici beneficium, in excommunicatione collatum, licet retinere valeant, nihil requiratur, nisi ut cum illis fuerit misericorditer dispensatum*. Si verò collatio beneficii, pertinet ad Ordinarium, prærequirat præsentationem Patroni Laici, vel Ecclesiastici, quæri potest, an tunc sufficiat dispensatio Ordinarii, ut quis beneficium in excommunicatione acceptum licet retineat? Communis negat apud Castropalaum n. 23. quia hæc dispensatio æquivaleret novæ collationi, quæ non est penes Ordinarium. Alii tamen probabiliter dicunt, sufficere, si dispensatio non sit reservata, collationis nullitas sit occulta, dispensatio non cedat in præjudicium tertii, & collatarius non accipit beneficium, sciens se inhabilem; Sic Castropalaus n. 24. Abbas, Glossa, & Layman ibid.

Inferes 2. quòd hæc omnia, quæ diximus de inhabilitate ad beneficium, locum non habeant in provisionibus Apostolicis, cum datur rescriptum à Papa, vel ejus Legato, in quo habetur clausula absolutionis ad effectum gratiæ; sic Castropal. D. 2. p. 10. n. 26. excipe, ut monui n. 1942. nisi censura sit una ex iis, quibus non prodest hæc clausula. Nam talis provisio fit à potente per provisionem tollere obicem ex censura in subjecto existentem. Coeterum per excommunicationem supervenientem validæ collationi beneficii, non impeditur ejus executio. Excommunicatio enim solum impedit novi juris acquisitionem; non autem privat jam obtento virtualiter; sic Gibalin. disq. 7. q. 7. n. 27.

Inferes 3. quòd, qui nec dispensatus, nec absolutus obtinuit beneficium, majori excommunicatione ligatus, teneatur primò absolutionem petere, & deinde resignare beneficium in manibus illius, ad quem pro tunc spectat, illud conferre; & tandem si tale beneficium retinere vult, petere dispensationem, seu, quod idem est, novam collationem ab eo, ad quem pro tunc spectat conferre: prior enim collatio

lil fuit



fuit invalida, ac proinde talis est, quasi facta non esset, & caret vi canonica provisionis; ergo non habet illius jus, ergo retinere non potest; ita Leander q. 13. debet autem resignatio simpliciter fieri, ideoque non sufficit causâ permutationis, aut absolute in favorem tertii resignare, minus autem elicet alteri conferre, aut cum altero permutare.

## §. 3.

*An non solum collatio beneficii, sed etiam electio, postulatio, presentatio, aut alia quacunque provisio, facta excommunicato vitando, sit nulla, & irrita?*

1946 **R**esp. affirmari probabilius à Navarro, Coninch, Layman, Vasquez, & aliis, quos citat, & sequitur Castropalaus D. 2. p. 10. n. 1. Gibalin. disq. 7. q. 7. n. 16. quia per hæc omnia venit ad acquisitionem novi juris pro beneficio; cujus talis capax tunc non est, ut in præcedentibus probatum est, id, quod confirmari potest ex c. *Cum dilectus*, 8. de consuetud. ibi: *quia nobis constitit, electionem ipsam à suspensis, & de suspensio etiam celebratam esse, eam iustitiâ cassavimus exigente; item casi celebret*, 10. de Cleric. excom. ministr. ubi dicitur, quod si excommunicatus etiam minori excommunicatione scienter electus fuerit, ejus electio sit *irruanda*, pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus. Similiter impostulabilis dicitur, qui violat interdictum c. 1. de Postulat. Prælat. De aliis autem idem est ex universali ratione in præcedentibus tradita.

1947 Idem in hac materia dicendum est de qualibet alia beneficii acquisitione, tametsi ex causâ permutationis, vel resignationis fiat; quia tali casu acquisitio beneficii canonica non est; Ita Suarez, Azor & alii cum Castropalao cit. n. 2. quod intellige, si tempore, quo beneficium acquiritur, in hoc subjecto sit excommunicatio; nam si eo tempore, quo acquirit, ab excommunicatione solutus esset; licet tempore, quo facta est resignatio, vel permutatio, excommunicatus fuisset, beneficii acquisitio valida esset; Sic Garcia cum Castropalao cit. juxta superius dicta. Et ideo etiam promissio beneficii facta in gratiam excommunicati vitandi, nulla est, si quod jus tribuat promissario, quod extendit Castropalaus cit. n. 3. etiam ad excommunicatum

toleratum; quamvis contrarium probabiliter teneri possit cum Gibalino q. 7. n. 21. si hic se non ingerat, sed à collatore legitime requisitus acquirat.

Quæres an inhabilitas excommunicati, ad beneficia Ecclesiastica, extendat se etiam ad dignitates Ecclesiasticas? R. quod sic, quia beneficium Ecclesiasticum in dicta prohibitione Innocentii III. supponit universaliter, cum ibi sumatur indefinitè; qui modus, præsertim in propositione negativa, æquipollet termino affecto signo universaliter, vel æquipollenti. Hinc Glossa in c. *penult. de verb. signific. V. beneficiorum*, ait hanc vocem *beneficium* indefinitè positam, *de omnibus beneficiis* capiendam esse; ita etiam Suarez D. 13. S. 1. n. 4. Lessius l. 2. c. 34. d. 22. n. 116. ubi excipit solum Sedem Romanam, ad quam excommunicatum, aliâve censurâ innodatum, evchi posse, colligitur ex c. *Licet*, de elect. & Clem. *Romani*, §. *Ceterum*, eodem; ita Gibalinus n. 4. Castropalaus D. 2. p. 10. n. 1. cum aliis.

Nec juvat dicere, quod in odiosis voces strictius accipiendæ sint. 1. quia sic etiam in c. *dilectus*, de concess. præbend. negat Innocentius III. constitutionem in Concilio Lateranensi ab Alexandro III. editam, contra eos, qui ultra 6. menses differrent conferre beneficia vacantia, extendi ad Archiepiscopatus & Episcopatus; sed tantum ad beneficia minora. Similiter in c. *Felix*, de pœnis in 6. advertit Glossa, nomen *beneficium* in odiosis non comprehendere Episcopatum, nisi exprimat: respondetur enim 1. transeat, quando non ponitur cum suppositione universaliter, vel formaliter, vel æquivalenter, non autem secus. Tunc ergo strictè accipi debet in odiosis, quando non ponitur cum signo laxante. Coetertim pater ejusmodi terminum, indefinitè positum, semper æquipollere universaliter, nisi restringatur vel per ipsam materiam, vel exceptionem expressam, aut generalem, etiam tunc valentem, ut fit in allatis in contrarium textibus; imò ea ipsa exceptio Innocentii probat, aliàs illam vocem indefinitè prolatam æquipollere universaliter; aliàs enim exceptio esset de re non contenta. Denique Capitulum *cum bona*, de arat. & qualiter ubi dicitur, suspensum non posse retinere beneficia, tempore suspensionis acquisita, ex communi Doctorum intelligitur de quolibet beneficio.

Et ex hoc ipso sumitur ulterior respon-  
sio.



no. Nam ubi ratio, quæ reddit inhabilem etiam ex dispositione juris positivi, secundum quod influit in dispositionem, reperitur in quolibet significato termini, super quo ex ea disponitur, præsumitur disponens velle sub ea dispositione comprehendere quolibet eorum; sed ratio secundum quod influit in dispositionem, quæ excommunicatum reddit inhabilem ad recipiendum beneficium, reperitur in quolibet significato vocis *beneficium*, super qua ex illo disponitur; nam ratio, propter quam ex dispositione juris positivi excommunicatus inhabilitatur ad *beneficium*, est, ne detur illud, qui de jure non potest præstare officium, cujus causâ datur beneficium; hæc enim ratio reperitur in quolibet habente beneficium, sive simplex, sive qualificatum, quando habens est excommunicatus; ergo. Ma. videtur ex eo vera, quod aliàs commune pronuntiatum juris: *ubi est eadem ratio, est eadem juris dispositio*, in nullo casu circa non expressum posset verificari, si intelligatur pro casu, quo non limitatur à disponente, & materia, de qua loquitur, capax sit, effectus, quem ea inducit. Et ideo ea inhabilitas extenditur etiam ad reliqua munera, & dignitates Ecclesiasticas acquirendas, quales sunt, Vicarii, Rectoris, Delegati, Guardiani, Gubernatoris, Commendatoris, & similes, sive ad tempus, sive in perpetuum donentur.

## ARTICULUS VI.

*An excommunicatus sit capax pensionum?*

1951 **A**nte resolut. supponendum, *pensionem* aliam esse merè laicam, & temporalem. *Merè laica* est stipendium, nihil habens commune cum beneficio, datum laico propter causam merè temporalem, v.g. propter obsequium, quod vel ipse, vel majores ejus Ecclesiæ præstiterunt; & talis pensio validè confertur excommunicato. Sic Gibalin. q. 7. n. 34. Castropalaus p. 8. n. 6. *Spiritalis* autem *pensio* triplex est 1. vocatur *præstimonium*, estque stipendium, quod ex beneficii alicujus fructibus extrahitur in perpetuum ad munus aliquod spirituale, & sic est verum, & propriè dictum beneficium, 2. est stipendium, quod alicui datur propter munus, seu titulum spirituale; sed non in perpetuum,

Tom. V.

um, ob quod recedit à ratione beneficii strictè accepti. Talis pensio est Vicarius temporaneus, 3. est stipendium mixtum partim ex causâ spirituali, partim temporali, cum scilicet assignatur Clerico beneficio resignanti, permutanti, juri cedenti, vel sustentationem non habenti. Dicitur *temporalis*; quia in pensionario nullo munus ordini annexum exigit, quod à Laico præstari non possit: dicitur *spiritualis*, quia in pensionario supponit statum clericalem; & ideo etiam à nonnullis dicitur *pensio Clericalis*? his positis.

2. Collationem præstimonii, factam 1952 excommunicato vitando, irritam esse, ut docet Castropalaus n. 6. Gibalin. n. 34. idque ex n. 1932. præstimonium enim est verè beneficium; hoc extendit Castropalaus etiam ad excommunicatum toleratum, sed contrarium probabiliter dicitur ex n. 1869. sed nec pensio spiritualis, licet non perpetua, excommunicato vitando licitè dari, aut accipi ab eo potest, quia nequit licitè exercere actus illos spirituales, quorum intuitu datur talis pensio. Collationem autem pensionis mixtæ, factam excommunicato vitando non esse irritam, sentit Layman, Sà, & Castropalaus, n. 8. quia nullus est textus, quo dicatur irrita; nam textus in c. *postulastis*, & c. *ult.* de Cleric. excom. ministr. loquitur tantum de *beneficio Ecclesiastico*, qui textus extenduntur ad præstimonium, quod loco beneficii succedat, quod non habet pensio mixta. Quando autem Pontifex in collatione talis pensionis præmittit absolutionem à censuris, fit, ne ipsius rescriptum invalidum fiat; vel ne in petenda pensione repellatur à judicio. Verum si pensio mixta, secundum quod est spiritualis, importet onus aliquod spirituale præstandum à pensionario, & is id præstare non possit propter excommunicationem, quâ innodatus est, rectius dici videtur, non esse illius capacem seclusâ dispensatione, vel absolutione; idque ex eadem causâ, quæ militat contra pensionem temporalem. Hinc quando Congregatio Cardinalium in c. 7. Sess. 14. Trid. de reform. negat, decretum de incapacitate beneficiorum, ratione homicidii, ad pensiones extendi, non concluditur idem ad nostrum casum, propter exceptionem in illo.



## ARTICULUS VII.

*An excommunicatus lucretur fructus beneficii?*

1953 **S**upponend. exproventibus Ecclesiasticis alios esse, qui competunt beneficium habenti; alios, qui tanquam merces, & stipendium redduntur quotidie peragentibus divina officia, vocanturque distributiones quotidianæ; ita Covar. apud Gibalin. D. 7. q. 7. n. 51. qui ait nomine *fructuum Ecclesiasticorum*, si laxè sumantur, venire non tantum redditus ex beneficio, sed etiam pensiones, & quotidianas distributiones, decimas, oblationes, & elemosynas, ac quidquid quomocumque acquiritur titulo Canonico: revera enim sunt proventus Ecclesiastici; & vocantur improprie beneficia manualia: in stricta tamen acceptione non veniunt nomine fructuum, nisi proventus præbendarum, non autem quotidiana stipendia; Quia jus ad hæc non est strictè beneficium; ergo nec dictæ distributiones strictè dici possunt *fructus beneficii*; quibus positis, quæstio est, an excommunicatio major etiam privet fructibus Ecclesiasticis? Quia in re **R. I.** si beneficium accepisti tempore, quo excommunicatus eras, cum acquisitio fuerit nulla, etiam jus nullum te habere ad fructus beneficii. Hoc intellige de excommunicato vitando; nam de tolerato discurrendum est secundum dicta jam sæpius; si tamen judicasti, te verum habere titulum beneficii, & fructus ejus bonâ fide percepisti, non es obligatus restituere, nisi quantum de illis adhuc extat vel in se, vel in eo, quo factus es ditior; ita Suarez, Coninch, & Layman, quos citat & sequitur Castropalaus p. 11. n. 1. in fine, quia tunc processisti ex possessione munitâ existimato titulo, & bonâ fide. Sed

1954 **Q**uæres 1. an excommunicatio major ipso jure privet fructibus? **R.** quod affirmativam sequatur Guttier. Suarez, Garcia, & alii apud Castropalaum 1. quia in c. *Pastoralis*, §. *verum*, de appellation: dicitur, quod illi proventus Ecclesiastici merito subtrahantur, cui Ecclesia communicatio denegatur, ex quo textu patet, revera privari excommunicatum fructibus beneficii; ubi notant, quod Pontifex comparer subtractionem fructuum cum carentia communionis; sed hanc habent excommunicati vitandi ipso jure; ergo & illam, 2. quia

Pontifex ibidem dicit hanc subtractionem non impediri per appellationem, quod tamen fallum esset, si non esset contracta ipso facto: Gibalinus tamen disc. 7. q. 7. n. 52. docet illis privari, solum post sententiam Judicis. Idem tanquam verius sequitur Castropalaus cit. n. 4. Glossa, Valquez, Coninch, Hurtado, Layman & Sanchez. Ratio horum est; quia talis subtractionis probatur incurri ipso facto per illum textum juris. Nam in c. *Pastoralis* cit. non dicitur, *subtractos esse*, sed *merito subtrahi*, quod significat actionem Judicis. Deinde si ipso facto subtracti essent, malè Episcopo quærenti, num tali subtrahendi fructus, respondisset Pontifex, *merito subtrahi*, si jam subtracti sint. Ex quo patet ad primam rationem sententiæ contrariæ.

Cœterum; illa comparatio subtractionis, cum carentia communionis, non fit, ut habeant se eodem modo in omnibus. Carentia enim communionis est excommunicationi denuntiata necessaria, non autem subtractio fructuum; sunt enim nonnulli excommunicati, qui privantur communionem fidelium, non autem fructibus, ut notat Gibalinus cit. n. 54. Ad 2. rationem **R.** non semper inferri effectum aliquem induci ipso facto, cum in jure dicitur, *non impediri per appellationem*. Sensus enim est, quod Judex ab actu suo non impediatur per appellationem, quod fit, si scilicet legitima non esset, aut etiam contra legitimam specialiter cavetur, & hanc sententiam etiam probabilem; & tutam in praxi, censet Leander cit.

Ex hoc inferes cum Gibalino cit. n. 54. 1951 §. *cum itaque*, excommunicatum vitandum, omnes fructus sui beneficii prius legitime obtenti, quos durante excommunicatione percipit, facere suos (nisi aliud ferat sententia excommunicationis) quam diu non privatur illis per sententiam Judicis. Nam ipso facto non privatur illis secundum dicta: adunt Hurtado D. 6. de excommunic. diff. 1. & Suarez, quod licet extaret jus aliquod, talem excommunicatum ipso facto privans fructibus dictis, et tamen nunc derogatum sit contrariâ consuetudine; sic ut nec Judex privatus, stante hac consuetudine, possit ejusmodi excommunicatum privare fructibus, jam perceptis, aut percipiendis.

Imò si per se, vel per alium administrat 1957 officium suum, propter quod habet beneficium,



ficiam, probabilius est juxta Gibalin. cit. n. 55. quod, licet peccet ingerendo se divinis, tamen valide recipiat stipendia, sic possessor malæ fidei valide accipit mercedem laboris à se impensi circa rem iniquè detentam, ut habet Petrus Navarra, Henriquez, Sanchez, & alii; ex quo sequitur, quod habens beneficium simplex, obligans tamen ad horas Canonicas recitandas privatim, licet excommunicatus sit, omnino capiet fructus illius beneficii; ita Vasquez, de benefic. c. 4. §. 3. n. 229. quod idem de suspenso dixit Navarrus, c. 27. n. 160. quos citat, & sequitur Gibalin. cit.

1958 Sive autem supponas excommunicatum privari fructibus beneficii primò post sententiam Judicis, sive ipso facto; probabilius tamen est; illum posse frui fructibus sui beneficii, sin ipse non dormit in contumacia, nec per ipsum ster, ab excommunicatione liberari; ita Layman, & alii quia talis non manet culpabiliter in censura; hæc autem poena est solum in eos, qui sunt in excommunicatione cum mora culpabili; non enim oritur ex natura censuræ; aliàs induceret eam ipso facto. Deinde quia talis poena, in hac hypothese, est solum secundarius effectus censuræ; non est autem necessarium, ut semper habeat omnes tales effectus, saltem, de quibus prudenter præsumi potest, quod illos legislator hic & nunc nolit; sed in hoc casu id de isto effectu prudenter præsumi potest ex benignitate Ecclesiæ; ergo: contrarium tamen tenet Castropalaus p. 11. n. 14. quamvis n. 13. cum Suarez existimet, omnes fructus beneficii à tali judice restituendos esse excommunicato à tempore absolutionis injustè dilata.

1959 Sin excommunicatus sit egens, juxta Gibalinum n. 58. probabile est, quod possit sibi retinere partem fructuum, quibus aliàs sive ipso jure, sive sententiâ Judicis privaretur; potest enim hoc ipsum in tali statu capere titulo cleemosynæ, cum aliquin aliis pauperibus dandum esset. Unde in tali casu Ecclesia non censetur invita; aliud enim est, quod suos ministros non obliget, ut ejusmodi excommunicatos alat; aliud, quod molestè ferat, si sibi ob egestatem clanculum aliquid surripiant; primum verum est, sin ipsi non impediunt liberationem à censura; non verò secundum.

1960 Quæres 2. an privatio fructuum affi-

ciat quemlibet excommunicatum? R. quod afficiat quemlibet vitandum, saltem post sententiam Judicis, si lata sit excommunicatio per sententiam; non verò si à jure: ratio est, quia vitandus, etiam perentibus aliis, peragere nequit officium, propter quod dantur fructus beneficii, nisi officium agat per alium; hoc enim sonat simplicem commissionem, non verò jurisdictionem. Deinde c. *pastoralis*, loquitur tantum de excommunicato per sententiam: secus dicendum est de excommunicato tolerato; hic enim etiam potest officium peragere per alium; vel per se ad aliorum petitionem. Sic Gibalinus n. 59. cum quo dicendum ulterius, non amitti fructus beneficii, Creditoribus assignati, subsequente excommunicatione beneficiati, esto stante excommunicatione illis per expressam sententiam privetur, si sermo sit de acquisitis ante excommunicationem; nam peccatum debitoris superveniens non debet afferre præjudicium creditori in illis, quorum jus ante illud erat penes debitorem; Secus si sermo sit de fructibus, quos primò lucraturus erat, nisi expressè excipiatur præjudicium Creditoris. Nam assignatio per debitorem facta non stat, nisi supposito jure, in illos fructus; hoc autem ei impeditur per supervenientem excommunicationem posita sententiâ Judicis; ergo.

Quæres 3. ad quid nihilominus teneatur Clericus privatus fructibus sui beneficii? R. quod teneatur. 1. ad onera personalia, ne scilicet ex sua malitia fructum habeat. 2. Ad onera realia affixa rei, quam excommunicatio non tollit ex eadem ratione; & ideo in c. *Si verè*, 34. de sent. excom. dicitur: *Ab excommunicatis exigi, & recipi posse, quod debetur*; ubi redditur ratio à Pontifice, quia aliàs *videremini Vos* (nimirum non excommunicati) *damnum ex penitentia, ipsi verò præmium, ex contumacia reportare: cum ad hoc debitum exsolvendum ipsi vobis mancant obligati, & ab excommunicatis exigi possit, & recipi, quod debetur*. Est autem cautum in jure, quod si quisquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum, transierit, necessaria emere ac recipere poterit ab eisdem. Præterea si paterfamilias domus excommunicationis sententiâ fuerit innodatus, à participatione illius familia excusatur. Licet ergo Dux Venerorum, Dominus navium, *sicquam paterfamilias domus*, in excom-



municatione persistat; Vos tamen tanquam ipsius familiam, dum in navibus ejus fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud Deum, si in excommunicatorum navibus existentes, cum dolore cordis, sub spe penitentia, communicaveritis ipsis, in quibus eorum communicationem non poteritis evitare. Ratio enim oneris oritur ex re, cui affigitur; unde per oppositum non tenetur ad onera realia rei, quam tollit excommunicatio, sic Gibalin. n. 61. hinc non tenetur solvere pensiones impositas beneficio; hæ enim sunt annexæ fructibus, qui supponuntur sublati Suarez D. 13. de cens. sect. 2. n. 24. idem est de alio quocunque subsidio fructibus annexo; tunc enim petendum est ab eo, qui fructus capit. Neque Superior tenetur excommunicatum contumacem sustentare de fructibus beneficii, si labore egestate; ipse enim tunc in causa illius est, licet possit aliquam illi partem dictorum fructuum, tanquam pauperi, applicare; Filiucius tr. 12. c. 5. q. 6. n. 136.

1962 Quæres 4. an in dicto casu nomen fructus strictè, vel amplè sit accipiendum? Respondet Leander q. 35. debere sumi laxè, pro quolibet proventu Ecclesiastico, & titulo spirituali, redundante in illum ex bonis Ecclesiæ, afferens, id velle Innocent. III. in c. *Pastoralis s. Verum*, de appellat. & cum eo omnes Doctores; verba dicti c. sunt: *illi proventus Ecclesiastici merito subtrahantur, cui Ecclesia communio denegatur.* Notandum tamen, licet nomen fructus sumeretur amplè; sub eo tamen non venire fructus patrimoniales, etiam si assignati sint in titulum ordinationis; quia ejusmodi patrimonium manet merè temporale; nec sit spirituale, etiam per indirectam connexionem; sic Glossa in c. Tuis, 23. de præbend. & ibid. Panormit. n. 6. & 8. Colligitur ex Trid. Sess. 21. c. 2. de reform. ubi Clericus de consensu Episcopi permittitur illud alienare, si ei de beneficio legitime provisum sit.

1963 Quæres 5. ad quem pertineant fructus, quibus excommunicatus privatur? R. 1. si privatur distributionibus quotidianis, quia non peragit suum officium, cum prohibitus sit; eas pertinere ad illos, ad quos propter quamcunque absentiam, aut non residentiam pertinerent, jure accrescendi, vel decrescendi; sic Alterius, & alii, quos citat, & sequitur Gibalinus q. 7. n. 63. qui addit, illos fructus, vel distributiones, quæ

dabantur Dignitatibus, vel Personatibus, ratione certi servitii in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, applicandas esse vel fabricæ Ecclesiæ, si indigeat; vel alteri loco pio, ex arbitrio Ordinarii, ut sit propter absentiam, vel non impletionem debiti servitii, ut habetur in Trid. Sess. 22. c. 3. de reform. fructus autem grossos, qui scilicet nascuntur ex beneficio, quam diu excommunicatus illis privatus manet, convertendos esse in utilitatem Ecclesiæ, constituto alio, qui assignato stipendio, curam gerat ejus Ecclesiæ; si verò excommunicatus habeat Coadjutorem, etiam cum jure successione, ei cedere fructus; tunc enim ita se habet, ac si nullus esset coadjutus, quamvis applicari quoque debeat aliquid ad sustentanda onera beneficio imposita, & alia opera pia, v. g. in sustentationem pauperum, saltem in quantitate, quam aliàs à beneficio accepissent; ita Suarez, & Garcia apud Gibalin. Disq. 7. q. 7. n. 63. in fine.

Quæres 6. an excommunicatus alii-1964 quando possit repetere fructus, quibus privatus est? R. posse, si excommunicatio fuit in re invalida; licet valida, existimatione; nam eo casu licet fructus capere, & amissos recuperare, vel ab eo, qui percepit, vel à iudice, qui in alterius utilitatem applicari iussit. Aliud censent Authores de distributionibus quotidianis; nam illas volunt aliqui repetendas esse à iudice, qui sententiam iniquam tulit; ita Suarez, & Filiuc. apud Gibalinum cit. qui tamen sentit repetendas prius ab iis, qui perceperunt. Quia tunc in eos jus fuit revocabiliter translatum, ut sit, cum quis inculpabiliter abest officio; Clericus autem inculpabiliter abest officio, cum abest ob talem excommunicationem.

Dices: Judex, qui tulit iniquam sententiam, puniri potest; ergo ab illo repetendæ sunt dictæ distributiones. R. cum dist. anteced. & C. si ostenditur, quod illam sententiam injustè tulerit; secus, N. ita c. 1. de re judicata in 6. ubi dicitur, quod *Judex, qui contra justitiam, & contra conscientiam aliquid in judicio fecerit in gravamen partis, per gratiam, vel sordes, condemnandus sit parte laesa in astimationem litis.* Nam contra Judicem ex officio agentem nunquam præsumenda est iniquitas, nisi convincatur, c. *Abste*, 11. q. 3. ubi Anerus Papa, scribens ad Episcopos Hispaniæ, *abste*, inquit, *ut quidquam sinistrum de his arbitrentur, qui*



Apostolico gradu succedentes, Christi corpus, sacro ore, conficiunt, &c. hinc cum in iure dicitur: *injustam sententiam potius obesse ferenti, quam injuriam passo*, intellige, cum fertur injuste.

ARTICULUS VIII.

An, & qualiter excommunicatio major privet habilitate conferendi beneficia?

1966 **Q**uestio est, an omnis excommunicatus, excommunicatione majori, reddatur inhabilis ad valide, & licite conferendum alteri beneficium? R. I. id verum esse de excommunicato vitando, 1. per c. *unicum*, ne Sede vacante, in 6. c. *diversitatem*, 6. de concess. præb. ex c. *Tanta*, 18. de excessib. Prælator. ubi dicitur, *quando collatio communiter ad Episcopum & Capitulum pertinet, uno ipsorum effecto inhabili, alterum conferre*; id, quod etiam colligitur ex c. *quia* 4. ubi habetur, non servantem interdictum, suspensum esse ab officio, beneficio, & omni jurisdictione. Deinde, quia excommunicatus vitandus privatus est jurisdictione, consequenter ejus exercitio; collatio autem beneficii est actus jurisdictionis; ergo. Ma. constabit ex n. 1976. min. ex Glossa communi in c. *cum inter* de elect. V. *de talibus*, apud Leandrum D. 10. q. 1. hoc autem in excommunicato tolerato non procedit; cum ejus acta in favorem fidelium valeant, post Concilium Constantiense, ut supr. diximus, & patebit in seq. Si tamen sponte se ingereret, & non requisitus, secundum alibi dicta peccaret.

1967 **Q**uæ diximus de excommunicato vitando, vera sunt, si vel unus sit ex Collatoribus talis, cum collatio est penes plures, Leander cit. q. 6. idem est de jurisdictione eligendi quoad excommunicatum vitandum, quod diximus de jurisdictione conferendi, ex c. *cum inter*, 1. de elect. ubi hoc dicitur de electione à suspensis, quod Glossa apud Leand. cit. extendit etiam ad excommunicatos; cum beneficiorum collatio, æquè ac electio sit actus jurisdictionis, quæ privatum dicemus talem infra à n. 1976. Hinc electio facta ab excommunicato vitando, cujus suffragium necessarium est, ut colligitur ex casu in c. *ad probandum*, 24. de sent. & re judic. ubi sententia per Judices delegatos, ex omnibus si unus excommunicatus fuit, lata, *infirmata dicitur*; Secus, si ejus suffragium non sit necessari-

um, vel non fuerit scienter admittus; quamvis idem affirmat Gaspar Hurtado contra Leand. q. 10. esto scienter admittus fuerit. Electio autem summi Pontificis valida est, licet fiat electoribus excommunicatis, ex Clem. Romani, §. *Cæterum*, de elect.

1968 **U**terior dubitatio est 1. an præsentatio ad beneficium Ecclesiæ, à Patrono Laico, sed excommunicato vitando, licite fiat? R. negativè; quia non potest fieri sine communicatione Ecclesiastica. Sic Suarez D. 14. l. 2. n. 21. & alii: siverò præsentator sit Clericus, negat illam valere Leander q. 15. quia tunc habet vim electionis, arg. c. *cum autem*, c. *nobis*, c. *penult.* de jure Patron: & hoc jus præsentandi habet Clericus ratione beneficii, vel dignitatis Ecclesiasticæ, quo, dum excommunicatus est vitandus, privatur. Si enim Episcopus dictam præsentationem Laici admittat (quamvis id licite non possit, ne communicet cum excommunicato vitando) & persona præsentata digna sit, valida erit, etiam quoad institutionem & collationem; esto Hurtadus, Vasquez, & Covar. velint ejusmodi præsentationem invalidam esse. Ratio autem prioris est, quia Laicus non præsentat *ex officio*, sed, ut quid ad suum patrimonium spectans, quod valide administrare potest etiam excommunicatus non toleratus. Est enim tantum expressio voluntatis, quod non est quid juris, sed facti. Ex hoc patet ratio discriminis inter Patronum Clericum & Laicum. 1. quia hujus præsentatio non habet vim electionis, atque nihil juris confert, sed est tantum mera nominatio personæ, ab Episcopo instituendæ, in cujus institutione relinquit totalem dispositionem beneficii, c. *quoniam*, de jure patron. 2. quia ejus præsentatio non est principium proximum, nec dat jus ad actus excommunicato vitatos. Nam Laicus non habet potestatem conferendi jus spirituale; secus est de Clerico. Unde cum hic præsentat, præsentatus non accipit totale jus ab Episcopo, sed partialiter à Clerico. Cæterum, cum supposita præsentatione facta à Laico excommunicato, totum jus sit ab Episcopo, si is nolit, ut talis præsentatio in re effectum habeat, potest; quod verum est, licet præsentatus dignus sit; quia non tenetur ei communicare, præsentationem ejus recipiendo.

Dubitatio est 2. quid dicendum de admissione, vel sumptione beneficii legitime collati,



collati, facta ab excommunicato vitando? *ꝛ.* eam esse licitam & validam, teneri ab Hurtado D. 7. de excom. diffic. 3. versu *admissio tamen*; quia nihil novi juris confert; sed alter ab excommunicato sumit tantum, quod est suum, at hoc licitum est; ita ille, Suarez autem D. 14. S. 2. n. 34. & Filliucius cum Leand. cit. q. 21. docent, non esse validam; quia licet possessio non conferat novum jus, multum tamen illud firmat, & securius reddit, quod est aliquod commodum ex beneficio, quo tamen vi talis excommunicatus privatus est. Sed hæc ratio potius est contra recipientem, non verò admittentem: videtur tamen probari posse ex eo, quia talis admissio est actus jurisdictionis spiritualis; hæc enim privatus est excommunicatus vitandus.

1970 Dubitatio est 3. quid dicendum de resignatione beneficii ab excommunicato facta? *ꝛ.* resignationem beneficii simpliciter factam à quolibet excommunicato in manibus Prælati, à quo beneficium confertur, validam esse; cum nullo jure irritetur. Dubium tamen est, an valeat, si ab excommunicato vitando fiat in favorem tertii? affirmativam tenet Castropal. D. 2. de cens. p. 13. n. 26. quia talis nec confert, nec eligit, nec præsentat, nec instruit; sed tantum vult relinquere beneficium, si tertio detur: negativam autem Covarr. Suarez, Alterius, Filliuc. & alii; quia per hanc resignationem tertius acquirit aliquod jus; atque adeo æquivaleret electioni factæ à Clerico. Sed electio à Clerico vitando non valet; ergo nec talis resignatio. Cæterum verius videtur, per talem resignationem nihil juris acquiri Resignatario, nisi per eum, ad quem pertinet, admittatur; ergo non est, unde ex illo excommunicationis titulo invalidetur. Et ideo negatur, eam electioni æquivalere.

1971 Dubitatio est 4. quid dicendum de institutione præsentati, vel confirmatione electi ad beneficium, facta ab excommunicato vitando? *ꝛ.* invalidam esse; ita Suarez D. 14. l. 2. n. 32. illi enim actus supponunt jurisdictionem spiritualem in instituente, vel confirmante, & à collatione simpliciter sumpta differunt, quod institutio non sit omnino libera, sed restricta ad personam præsentatam; Sic Suarez cit. Idem dicendum est de postulatione solenni, facta ab excommunicato vitando; habet enim vim electionis, quæ nulla est, si

à tali fiat. Secus, si sit simplex; hæc enim non habet vim electionis, sed est quid facti, non juris; Sic Suarez, Filliuc. & alii, etiam Leander q. 27. 28. si tamen Prælati sciens defectum postulanti, postulationem admittat, & confirmet, postulatio habuit effectum electionis, & confirmationis; Leander q. 20. in similitudine de præsentatione, & q. 27.

## ARTICULUS. IX.

*De rescriptis ab excommunicato impetratis.*

**P**ER rescriptum Pontificium intelliguntur responsa, & literæ Pontificis, quæ vel pro justitia administranda, vel beneficio conferendo, aliæ de causa redduntur; ita Joannes Streinius in prolegom. juris Canon. §. 10. de rescript. hinc quando rescriptum datur contra jus commune, dicitur privilegium, vel dispensatio; si ad lites, rescriptum justitiæ, ut si Pontifex constituat Judicem, qui causam cognoscat. Alia sunt rescripta gratiæ, quod per illa concedatur aliquid præter jus; ut si alicui personæ idoneæ assignetur præbenda, vel tribuendo jus ad beneficium vacaturum (quæ concessio dicitur *expectativa gratia*) vel mandando Ordinario, aut alicui executori, ut de beneficio vacante provideatur Clerico, & hæc vocari solent *mandata*, ita Streinius. Rescriptum de beneficiorum provisione aliud est *in forma dignum*, seu commissaria, committendo nimirum alteri collationem beneficii, quod Streinius, ut notavi, vocat *mandatum*; aliud *in forma gratiosa*, quod fit, cum per ipsas literas immediatè confertur beneficium: his positis ad q. propositam

*ꝛ.* Nullum rescriptum Pontificium ab excommunicato vitando impetratum, nullumque processum virtute illius habitum, esse validum, sed omnia ipso jure irrita; nisi detur super excommunicationis vel appellationis articulo; ita expressè statuit Gregor. IX. c. 1. de rescriptis in 6. ibi; *ipso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus, non valeat, si ab excommunicato (super alio quàm excommunicationis, vel appellationis articulo) fuerit impetratum.* Excipe, nisi detur cum clausula ad effectum gratiæ, ut supr. iam notavimus; nam quoad illum effectum concedunt absolutionem & valorem, Et hanc clausulam in iis duntaxat, à quibus absolvi possunt, etiam Episcopi suis



fuis rescriptis apponere valent; ita Garcia, Ugolin. Castropalaus D. 2. p. 10. n. 29. & Gibalinus de iurisdic. sacra, disq. 7. n. 17.

1974 **Q**uæstio est, an hoc etiam affirmandum sit de rescriptis datis ab Ordinariis, Papâ inferioribus, quod diximus de Pontificiis? affirmativam tenet Alterius apud Leonardum cit. q. 2. sed probabilius negatur; quia, ut patet ex contextu capituli, & discessu tituli, Gregorius ibi loquitur solum de rescriptis *Apostolicis*; quod etiam sentit Suarez, de rescriptis ad privilegia & gratias, per excommunicatum impetratum à Principe seculari. Aliqui autem constitutionem Gregorii volunt intelligi solum de excommunicato vitando, secus de tolerato; & hoc verum esse censet Archi-Diaconus, & probabile iudicat Suarez, ac Navatrus apud Castropal. p. 12. hic tamen etiam de aliis de omnibus vult intelligi, cum indefinite loquatur, & nulli excommunicato fiat favor, excipe, nisi habeat clausulam absolutionis ad effectum gratiæ; vel fiat in favorem fidelium. Tunc enim respectu excommunicati tolerati valeret.

1975 **C**irca præsentem quæst. ulterius not. 1. collationem beneficii validam esse, factam per rescriptum Pontificium in forma gratiosa, licet tempore rescripti excommunicatus sis; quia per hoc ipsum rescriptum absolveris ad effectum gratiæ; ita Castropal. cit. p. 10. n. 28. qui secus dicendum censet, si rescriptum fiat in forma commissaria. Tale enim rescriptum non continet collationem, sed solum mandatum conferendi, & huic, non illi prodest absolutio in rescripto data, atque adeo talis pro collatione aget novâ absolutione à censuris: Gibalinus tamen cit. n. 17. §. *mibi*, probabilius censet, si rescriptum in forma commissoria datum sit ad beneficium vacans, validè à commissario beneficium conferri, esto tempore rescripti, vel impetrationis recipiens in excommunicatione sit; quia per clausulam, *teque absolventes*, contentam in mandato, censetur dispensatus ad effectum impetrationis. Cadit enim in adequatum effectum rescripti, qui est in hoc casu, ut Commissarius Titio validè conferat beneficium non obstante quocunque censurarum impedimento. Aliud est, si mandatarius post acceptum eiusmodi rescriptum ad beneficia vacatura, de novo incideret in excommunicationem. Tunc enim, ut validè reciperet benefici-

Tom. V.

um, egeret novâ absolutione. Sic ille. V. l. 1. tit. 3. de rescript.

ARTICULUS X.

*An excommunicatus gaudeat jurisdictione Ecclesiastica?*

1976 **Q**uæstio est, an excommunicatus vitandus, omni iudiciaria potestate in foro Ecclesiastico, sit privatus? & nullum talem excommunicatum excommunicatione durante licitè uti suâ jurisdictione, quam aliàs habuit, vel haberet eâ seclusâ; patet ex c. *audivimus*, 24. q. 1. ubi Alexander II. ad Valerianum Episcopum, *audivimus*, inquit, quod *Henricus, Ravennas Archi Episcopus, visus sit te excommunicare. Verum, quia excommunicatus te excommunicare non potuit, Apostolica auctoritate te, tuosque absolvendo, mandamus, exinde nunquam curare. c. ad probandum*, 24. de sent. & re iudicata, ubi *reprobatur sententia lata à Delegatis, si unus eorum fuit publicè excommunicatus*, c. 1. de suppl. negl. Prælator. in 6. ubi habetur jurisdictionem suffraganei excommunicati non devolvi ad Metropolitanum. c. 1. de officio Vicar. in 6. ubi dicitur, quod acta Successoris Officialis excommunicati non valeant, quæ agit ipso excommunicato manente, si jurisdictione solum ab eo receptâ hoc facit; denique c. *decernimus*, de sent. excom. in 6. Alexander IV. *decernimus*, inquit, ut Iudices seculares per sententiam Ecclesiasticam ab ecclesiasticis Iudicibus (Canonicâ monitione præmissâ) repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando & testificando in suis curiis, & iudiciis compellantur. Unde Castropalaus D. 2. de cens. p. 13. n. 1. docet, quod si talis exerceat aliquem actum suæ jurisdictionis, mortaliter peccet.

1977 **E**x his iuribus etiam deducitur, acta excommunicati vitandi non solum esse illicita, sed etiam invalida. Et ideo talium sententiæ, vel quæ de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, decernuntur inanes, & irritæ, nullo unquam tempore valituræ, ut etiam colligitur ex c. *adversus*, 7. de Immunit. Eccles. Nam si eorum iudicatio etiam durante excommunicatione in ipsis staret, verum non esset, quod Summus Pontifex dicit, *excommunicationem, ab excommunicato latam, non esse curandam, quia non potuit excommunicare*; ita

Kkk

Sua



Suarez D. 14. de cens. sect. 1. n. 4. Castropalaus cit. p. 13. n. 7.

1978 Ex dictis inferes 1. quemlibet actum jurisdictionis Ecclesiasticæ quem exercet excommunicatus vitandus, irritum esse; quia fit à non habente jurisdictionem. 2. Irritam esse delegationem jurisdictionis factam ab excommunicato vitando; ipsa enim delegatio est jurisdictionis exercitium. Et ideo etiam in delegato cessat jurisdictio, delegante taliter excommunicato, quod intellige, re integrâ; si enim res non foret integra, & delegatus constitueret diversum tribunal à delegante, jurisdictio maneret in delegato, c. *gratum*; de officio deleg. Si verò habeant idem tribunal, etiam re non integrâ, cessaret jurisdictio in delegato, sicut fieret, si delegans moreretur, c. *Romana*, de offic. Vicar. in 6. ita Leander tract. 1. de cens. D. 3. q. 35.

1979 Not. autem, nos loqui de jurisdictione delegati quoad forum externum, non internum. Nam jurisdictio interior, in foro scilicet poenitentia, & qualibet alia, quæ judicialis non sit, non suspenditur etiam re integrâ, ob excommunicationem postmodum incursum à delegante; hæc enim est gratia facta, quæ ob impedimentum concedenti superveniens, imò ob ejus mortem, non infirmatur. Textus autem annullantes delegato jurisdictionem, loquuntur de jurisdictione fori contentiosi, quorum decisio, utpote odiosa, extendi non debet ad jurisdictionem extrajudicialem; ita Sorus, Avila, Bonac. & Hurtad. apud Castropal. loc. cit. Extra casum autem delegati, jam supr. diximus per excommunicationem majorem excommunicato vitando tolli jurisdictionem etiam pro foro interno, ut bene notat Gaspar Hurtado de excom. D. 6. diffic. 2. quatenus scilicet Ecclesia non tantum prohibendo, sed etiam irritando privat usu omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ.

1980 Inferes 2. quòd subditus nec teneatur, nec possit obedire mandatis sui Superioris Prælati, si est communicatus vitandus; ratio primi, quia tali casu caret jurisdictione spirituali; ratio secundi, quia prohibetur communicare cum excommunicato vitando: si tamen ei aliquid præstaret, non animo parendi, sed ex urbanitate, secluso scandalo excusaretur à mortali; Sic Leander q. 5. D. 11. citans Suarium.

1981 Inferes 3. quòd Episcopus, qui est ex-

communicatus vitandus, non possit dare approbationem pro audiendis confessionibus; nam approbatio est actus, & usus propria jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ talis tunc caret; Sanchez l. 3. de matrim. c. 21. n. 9. Suarez & alii contra Henriquez, qui putat non esse actum jurisdictionis, quamvis rectius affirmetur. Saltem in quantum explicat actum, quo approbans approbando subjicit oves pastoralis curæ suæ commissas.

Inferes 4. Parochum excommunicatum vitandum posse dare licentiam alteri sacerdoti, ut assistat matrimonio. Est enim substitutio testis, non autem exercitium jurisdictionis; Sic Sanchez, Rebellus, Hurtado, Diana, & Bonacina, imò ipse talis parochus ex eadem ratione validè assistit: sic iidem, contra Avilam, Sylvium, & alios; adhuc enim manet Parochus, nec ad hoc eget jurisdictione.

Inferes 5. acta à Judice Ecclesiastico, qui est communicatus toleratus, esse valida; ita Suarez, & alii, quia cum Ecclesia tam in humanis, quàm in divinis permittat fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis, perinde, ac si excommunicati non essent; conservare debet in illis (ut ad hanc apti, & expediti essent) jurisdictionem. Confirmatur 1. quia sententia à tali lata in foro interno valet juxta communem; ergo magis in externo 2. in jure antiquo Judex, qui erat excommunicatus occultus, retinebat jurisdictionem, quousque per exceptionem elideretur, c. *Exceptionem*, de exceptionibus, & c. 1. eod. in 6. Sed per Concilium Constantiense, & jure novo excommunicatus toleratus perinde se habet, ac se habebat excommunicatus occultus in jure antiquo; ergo. Sic Castropal. D. 2. p. 13. n. 6. id quod etiam affirmant Suarez, Coninch, Layman, & alii apud Castropalaum de excommunicato tolerato etiam cum non requiritur à fidelibus; quia per hoc illi non directè, sed solum indirectè favor conceditur, cum sit in utilitatem fidelium, saltem in communi, ad tollendas multas anxietates.

## ARTICULUS XI.

*De privatione communicationis in civilibus.*  
 Quæ diximus hætenus, pertinent ad communicationem in Sacris; nunc agemus de communicatione profana, quæ duplex est, una forensis, quæ occupatur circa



circa judicia; altera usualis, quæ politica dicitur, & continetur cæteris omnibus actionibus humanæ, & communis vitæ, extra forum & judicia.

1985 Quæstio 1. est, an excommunicatus licitè, ac validè exerceat actus Judicis forensis? v. g. judicando, agendo, procurando, advocando, scribendo & testificando? Ad 1. r. quòd non, si sit vitandus, quia illi illicitum est omne commercium cum fidelibus, etiam in his actionibus, ut constat ex c. *decernimus*, 8. de sent. excom. de quo supra, c. *veniens*, 38. de testibus, ibi: *quia verò, quæ in Capitulo aguntur, non facile possunt, nisi per Canonicos ipsos probari, volumus, ut ad cautelam absolvatis eisdem, ut vocati ad testimonium liberè valeant pro utraque parte testari.* Unde potest excommunicato vitando in quacunque parte litis obijci excommunicatio, ut repellatur, non obstante quocunque juramento à Judicibus præstito de servandis locorum statutis, aut consuetudinibus libertati, & disciplinæ Ecclesiasticæ obviantibus, ex c. 1. de except. in 6. Secus dicendum est de excommunicato tolerato à fidelibus requisito.

1986 Ad 2. r. Acta Judicis excommunicati & vitandi, si in tali censura per annum insurdui, esse irrita, & nulla, per c. *excommunicamus*, 13. de hæreticis; Sic Castropalaus de censuris D. 2. p. 14. §. 2. n. 1. Si autem sit vitandus, & in excommunicatione non insurdui per annum, actus ejus validos censet Victoria in Summa n. 16. de excom. sed negandum est cum Suarez D. 16. S. 1. & Gibalin, disq. 7. q. 8. n. 3. id probabile censente ex eo, quia cum lex prohibet substantiam actus, aut aliquid ad eum pertinens, prohibitio sufficit ad ejus invaliditatem, esto non dicat, inutile esse debere, quod gestum fuerit; sed excommunicato vitando prohibetur actus Judicis in judicio forensi; ergo: Deinde c. *Præsidentes*, de hæret. in 6. ob favorem fidei conceditur excommunicato, ut possit Judicis officium exercere; ergo id nequit extra hunc casum, sic etiam Escobar cit. l. 10. sect. 2. n. 216. Et ideo in praxi jam receptum est, ut facta Judicis forensis, qui sit excommunicatus vitandus, irrita reputentur à Principibus, nolentibus, valere ejus acta, quem Ecclesia rejicit. Hinc Castropalaus cit. n. 2. ait, quòd Pontifex in c. *Nos sanctissimorum* 115. q. 6. libet subditos à fidelitate Domino- rum excommunicatorum.

Tom. V.

Si petas, an, tamen si excommunicatus vitandus illicitè assumatur ad officium, vel dignitatem, cui sit annexa jurisdictio secularis, etiam assumatur invalidè? r. negativè, quia id nullo jure invalidatur; ita Suarez D. 16. S. 2. quem citat, & sequitur Gaspar. Hurt. de excom. D. 7. diffic. 2. n. 4.

Quæstio est 2. An excommunicatus possit esse Actor in judicio? r. affirmativè, si sit toleratus, si pars adversa, quæ sola potest, non excipiat; sic Hurtad. cit. difficult. 3. Cæterum excommunicatus vitandus extra causam suæ excommunicationis (in qua, ut probet se, vel non esse excommunicatum, vel esse absolvendum, admitti debet, ut constat ex c. *per tuas*, 40. de sent. excom.) non potest licitè Actor esse in judicio, sive agat civiliter, sive criminaliter, licet agat per alium, ex c. *decernimus*, 8. de sent. excom. & c. 1. de except. in 6. Si tamen admitteretur, acta ab ipso ante repulsam, valida essent ad eum effectum, ut possit ulterius procedi in causa, si ab excommunicatione absolvatur, per cit. c. 1. de except. Vid. Castropal. cit. p. 14.

Quæstio est 3. An excommunicatus, ut Reus trahi possit ad judicium? r. esse communem sententiam, quòd Reus, qui est excommunicatus vitandus, per se ipsum possit in judicio comparere, & respondere, ut habetur in c. *dilecti filii*, 8. & c. *ult.* de exceptionibus. Hæc permissio non est restricta per c. *intelleximus*, de judiciis, ubi dicitur debere per alium respondere; cum in judicio convenitur; namly *debet* ibi significat tantum convenientiam, ut notat Escobar l. 50. f. 2. n. 231. Trahi autem ad judicium ut Reus potest etiam excommunicatus vitandus, ne commodum recipiat ex sua excommunicatione, c. *intelleximus*, de Judiciis. Et tunc sic citatus omnia etiam per juramentum agere potest, quæ sunt in sui defensionem, Gibalin. q. 8. n. 18. & seq.

Quæstio est 4. An excommunicatus, validè ac licitè exerceat munus Tutoris, vel Curatoris, quod quidem est officium publicum, sed in privatam utilitatem Clientis, pupilli, &c. Negativam tenent Sayrus & Ugolinus, quia tale officium publicæ auctoritate constituitur, etsi jurisdictionem non habeat; sed excommunicatus vitandus ab omni officii publici usu exclusus est. Est enim à communione fidelium separatus; sed hoc probat solum illicitum esse, at non invalidè munus illud per eum exerceri; sic

Kkk 2

Esco.



Escobar cit. dub. 39. quia licet autoritate publicâ sit constitutus, non tamen in utilitatem publicam. Nam etiam officium Procuratoris & Advocati est ex publica autoritate, & tamen eorum acta valida sunt, si non repellantur, nullibi enim dicuntur irrita, sed tantum repellenda; Suarez de Conf. D. 16. S. 7. n. 8. Hinc si excommunicatus vitandus advocaret, quamvis illicitè ageret, validè tamen ageret, nisi fieret contra illum exceptio, quâ deficiente, stipendium pro impenso labore, licitè retineret; Sic Gibalin. q. 8. n. 6. Castropal. P. 14. n. 13.

1991 Quæstio est 5. an excommunicatus in electione validè det suffragium? præsertim in casu, quo reliqui omnes dant suffragia sua, & supersit solum suffragium alicujus excommunicati vitandi? in hoc quaeritur, an electio valida sit sine hujus suffragio? Ante resolut. nota, id dupliciter posse intelligi 1. ut, nisi excommunicatus suffragetur, desit requisitus numerus ad validam electionem, & sic sine dubio non est valida, 2. ut illi habeant quidem sufficientem numerum, an tamen, quia hic etiam est inter Electores, ob id etiam illorum electio invalida sit? Aliqui enim docent, si ab ipsis scienter ad electionem admittitur sit talis excommunicatus, sine illius suffragio invalidam esse; secus, si se intrusit. Alii, ut Hurtado, Layman, Coninch cum Escobar dub. 29. dicunt semper validam; quia per admissionem excommunicati non fiunt inhabiles ad eligendum; & licet velint eum esse coelectorem, per hoc tamen non volunt, irrita esse sua suffragia. Sed V. l. 1. tit. 6. de Electione.

1992 Quæstio est 6. an excommunicatus possit esse Procurator, Advocatus, Testis, Tabellio, seu Notarius publicus in judicio forensi; R. excommunicatum vitandum, si tempore excommunicationis acceptet officium Procuratoris, graviter peccare, quia est communicatio politica, & in officio publico, à quo exclusus est per excommunicationem; valere tamen acceptam in eo statu instructionem, & mandati acceptationem; nullus enim est textus irritans, & constat ex dictis; Qui enim adducuntur in oppositum, solum probant non esse admittendum ad procurandum, quod Gibalinus disquis. 7. q. 8. n. 9. verum existimat, siveis, qui eum constituit, sciat, sive ignoret, excommunicatum esse. Hinc sequi-

tur valere ejus acta etiam tempore constitutionis, 2. non posse illum repelli à judicio post obtentam absolutionem, esto non accesserit novus consensus, aut constitutio Actoris principalis; sic Gibalin. cit. n. 12. Excommunicatus autem toleratus à Fidelibus requisitus licitè & validè procurat, si autem non requisitus, agit illicitè. V. dicta à n. 1869.

R. 2. excommunicatum toleratum posse testem esse in judicio forensi; quia hoc est in favorem alterius; potest tamen Judex ejus testificationem non admittre, vel exceptionem opponere; Vitandus autem non potest licitè, licet peccet solum venialiter juxta Castropalaum p. 14. n. 17. hic enim actus non procedit, nisi à potestate privata; licitè autem, & validè, testem ager etiam iste in causa fidei contra hæreticum, c. *in fidei*, de hæret. in 6. item in omnibus illis casibus, in quibus potest infamis testificari; Gibalin. q. 8. n. 18. In aliis casibus à judicio rejiciendus est etiam quoad actum testificandi, c. *Veniens*, 2. de testibus, c. *decernimus*, de sent. excom. in 6. quia excommunicato credendum non est, ut dixit Stephanus Papa c. *nullus*, 3. q. 4. testimonium tamen ejus esse validum, licet nec à parte excipiatur, nec à Jure repellatur, negat Vasquez, Hurtado, & alii apud Castropal. cit. n. 18. Sed rectius affirmat cit. Gibalinus q. 8. n. 5. quia nullo textu invenitur irritum; potest tamen irritari exceptione, quia non est obligatio illi fidem dandi, quod Gibalinus intelligit quoad testificationes extrajudiciales, ut contractus, testamenta, & similia.

R. 3. quod excommunicatus vitandus non possit licitè agere tabellionem; potest tamen *validè*, si à partibus non rejiciatur. Qui enim sciunt excommunicationem, & tamen non excipiunt, videntur cedere juri excipiendi, consequenter irritare amplius non possunt. Nec in tali casu ullâ irritatione afficiuntur ejus acta; sic Coninch, & Castropal. loc. cit. n. 21. Toleratus autem, ad instantiam fidelium licitè agit Notarium, si actus non pertinet formaliter ad valorem scripti, quod conficit; sed tantum ad probationem. Nam in testamento, in sententia Judicis definitiva, & similibus pro actis postulantur irrefragabilitas; acta verò excommunicati tolerati irritabilia sunt exceptione.  
Sic



Sic Castropalaus n. 20. cum Layman, & Coninch, ibidem.

ARTICULUS XII.

De officiis publicis.

1995 **Q**uædam sunt, quæ habent annexam jurisdictionem, quædam verò non; dicuntur tamen publica, eò quod auctoritate publicâ constituentur. De his quæritur, an excommunicatio major privet, quocunque usi officii publici? Recolenda hic, quæ diximus in præmissis; pro reliquis adhuc quæri potest. 1. An Parochus excommunicatus, etiam vitandus, validè assistat matrimonio? ad quod *re.* affirmativè; quia non est usus officii publici supponens jurisdictionem, cum præstari possit etiam ab invito; ita Sanchez, Henriquez, & alii. Si dicas, excommunicatus vitandus nequit esse testis; respondet Castropalaus distinguendo: nequit esse testis *deponens* C. solum inspicens, ut postmodum testificari possit N. Deinde testificatio excommunicati vitandi valida est, cum non excipiatur.

1996 **Q**uæri potest. 2. An licentia sit valida, quam Parochus excommunicatus concedit alteri, ad assistendum matrimonio? *re.* concessam à tolerato validam esse, cum agat in utilitatem fidelium, communis sensus est; concessam verò à vitando, validam esse negat Coninch, & Avila; quia talis concessio est actus jurisdictionis, quâ privatus est; sed rectius affirmat Filliuc. Sanchez, Bonacina & Hurtado, quos citat, & sequitur Castropalaus n. 3. negans esse actum jurisdictionis, sed domini, sicut est quæcunque Procuratoris constitutio. Deinde, quod matrimonium valeat factum coram eo, qui est idoneus assistere, & ad hoc designatur, non habet à designante, sed à Tridentino. Hoc autem ei non tollitur per excommunicationem designantis; ergo.

1997 **Q**uæri potest 3. an admissio ad professionem Religiosam facta à Prælate excommunicato valida sit? Affirmant Sanchez, & Layman, quos citat, & sequitur Castropalaus n. 4. quia talis admissio est actus cuiusdam Superioritatis, non jurisdictionis Ecclesiasticæ. Alias foeminae, vel Laici, non possent admittere ad professionem Religiosam; cum careant jurisdictione Ecclesiasticâ. Quod etiam verum est, licet talis excommunicatus committat alteri, ut professionem excipiat, nisi aliunde prohibitus sit. Et hoc ad professionem Religio-

sam excommunicati etiam vitandi extendit Pellizarius in manuali regul. tom. 1. tit. 3. c. 2. n. 15. quia matrimonium carnale contractum ab excommunicato vitando valet: ergo etiam professio, quæ est quoddam matrimonium spirituale, 2. quia professio est quidam contractus naturalis; qui validè fit ab excommunicato vitando; ergo.

ARTICULUS XIII.

De communicatione publica.

1998 **N**on posse unum excommunicatum vitandum licitè communicare cum alio excommunicato etiam vitando, docet Gibalinus disquis. 7. q. 9. n. 3. Privatur enim omni communicatione etiam civili, & politicâ cum aliis fidelibus; ut patet ex c. *Sicut Apostoli*, 11. q. 3. ibi: Sicut Apostoli statuerunt dicentes: *Cum excommunicatis non est communicandum*: & si quis cum excommunicatis, aversando regulas, scienter saltem in domo semel locutus fuerit, vel oraverit, ille communione privetur, c. *cum excommunicato*, eod. ibi: *cum excommunicato neque orare, neque loqui* (nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent) *nec vesci liceat*. Si quis enim cum eo aut palam, aut absconsè locutus fuerit, statim cum eo communem excommunicationis contrahet poenam, & c. *Quoniam multos*, ead. caus. & quæst. ibi: quoniam multos peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, *devicti misericordia*, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportunè temperamus. Apostolica itaque auctoritate *ab anathematis vinculo hos subtrahimus*: videlicet *uxores, liberos, servos, ancillas seu mancipia, nec non rusticos servientes, & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, & eos, qui ignorantèr excommunicatis, sive illos qui communicant cum eis, qui excommunicatis communicant*. Quicumque autem orator sive peregrinus, aut viator in terram excommunicationum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat, unde emat, *ab excommunicatis accipiendi licentiam damus*. Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibebimus. Ubi vides à communicatione cum



excommunicatis solum excipi domesticos, vel casum necessitatis, aut ignorantiae, idque solum ex misericordia; sic Gregorius VII. *ibid.* Reducitur autem hæc civilis communicatio, quæ major excommunicatio privat, ad pauca capita, expressa per hunc versum: *Os, orare, vale, communicio, mensa negetur.*

1999 Per *os* intelliguntur signa benevolentiae, ut oscula pacis, complexus, missio munerum, collocutio, sermo, ut notat Gibalinus cit. n. 3. *§. tertio nomine oris*; hæc enim omnia cum excommunicato fidelibus, & huic cum illis prohibita sunt, c. *Sicut Apostoli*, cit. quod verum est etiam de sermone propter literas, c. *Si aliquando*, de sent. excom. vel etiam propter signa, & nutus. Advertit tamen Gibalinus, quod est accipiens munera ab excommunicato vitando peccet accipiendo, non tamen peccet retinendo, nec obligetur ad restitutionem. Excommunicato autem salutanti respondere licet per verba deprecatoria pro ipso v. g. *DEus te illumines, &c.* sic enim est potius locutio cum DEO; ita Castropalaus p. 17. n. 2.

2000 Per *orare*, intelligitur communicatio in sacris, de qua jam egimus supra. Per *vale*, intelligitur quælibet honorifica salutatio excommunicati, respectu cuius fidelibus ea prohibetur, c. *excommunicatos*, 11. q. 3. c. *omnis*, 24. q. 1. an autem liceat excommunicato transeunti assurgere, pileum deponere, vel alia signa exhibere, quæ jam per consuetudinem urbanitas induxit? probabilius negant Suarez, Sylv. Navar. Layman, Hurtad. Bonacina, Vasquez, apud Castropalaum p. 17. n. 4. quia hæc est vera salutatio exterior, in quam incidit prohibitio, licet non fiat animo salutandi: quamvis ibidem probabile censeat Castropalaus, fieri posse sine ullo peccato, & sine incurfu excommunicationis minoris. Videtur enim hæc salutatio inducta per consuetudinem, non ut excommunicatus honoretur; sed ut necessaria, ne inhonoretur, vel contemnatur, quod à fortiori verum censet, si ab excommunicato præventiaris salutatio; tunc enim resalutatio videtur debita; ita etiam Henriq. & Filliuc. *ibid.*

2001 Per *mensam* intelligitur commercium cum excommunicato, comedendo, vel bibendo, per modum focii, esto fiat in diversis mensis materialibus: non verò si

fiat casu, & absque societate, esto contingat in eadem mensa; sic enim unus non communicat cum alio; Gibalinus q. 8. n. 8. Per verbum autem *communicio* significatur, & prohibetur quæcunque alia cooperatio, & Societas in negotio aliquo gerendo, quæ reliquis quatuor vocibus non comprehenditur, ut est, *cobabare*, simul iter agere, communicare in Sacramentis, & in quocunque humano contractu; ita Hurtad. de excomm. D. q. diff. 1. & Gibalinus q. 8. n. 7.

Quæres, an contractus initi inter excommunicatum vitandum, & fideles, validi sint, & firmi, ita ut non tantum vi illorum excommunicatus, sed etiam fidelis obligetur? Aliqui apud Castropalaum p. 16. n. 2. putant, validos esse, si sint in favorem contrahentium non excommunicatorum; secus, si in favorem excommunicatorum; alii verò docent, omnes validos esse; sic ex communi Panormit. Felinus, Covarr. Sayrus, Ugolinus, Vasquez, Coninchi, Hurtado, quos citat & sequitur Castropalaus n. 3. & hoc ex c. *inter dilectos* 8. de donationibus, & colligitur etiam ex c. ult. de poenis, ubi subditi à fidelitate debita Domino solvuntur, non ob excommunicationem Domini præcisè, sed quòd in ea per duos annos insorduerunt. Nec etiam ultus est textus juris irritans ejusmodi contractus. Illud certum est, quòd quis licet cum excommunicato communit in iis, quæ pertinent ad executionem contractus ante excommunicationem initi, ut supr. diximus ex c. *Si verè*, h. t. nam contractus non solvitur per supervenientem excommunicationem, ut etiam notat Barbosa hic n. 2. saltem si contractus est contra excommunicatum; Suarez tom. 5. D. 15. S. 8.

Dices: quæ contra jus sunt, pro infectis haberi debent; Sed ejusmodi contractus sunt; ergo. R. cum dist. quæ contra jus irritans sunt, pro infectis haberi debent, C. contra jus solum inhibens N. ma. ejusmodi autem contractus fiunt quidem contra jus inhibens; sed non irritans, hinc esto excommunicatus, petens executionem contractus in excommunicatione initi repellatur: ex hoc tamen non ostenditur, eum esse nullum; quia non repellitur ob nullitatem contractus, sed ob excommunicationem. Unde absoluitur



lutus ab excommunicatione, poterit agere pro obligatione sibi excommunicato facta, arg. c. *felicitis*, V. *Cum autem*, de poenis in 6. ita Felinus & Selva, quos refert, & sequitur Sayrus & Hurtado apud Castropal. loc. cit.

2004 Ex hoc sequitur 1. validam esse venditionem, emptionem vel locationem, ab excommunicato factam, ex c. *Si verè* 34. de sent. excom. & c. *quoniam multos*, II. q. 5. secundò validam esse donationem factam tum excommunicato, tum alteri ab ipso, c. *inter dilectos*, de donationibus; ita Sayrus, Vasq. Coninch, Hurtado, Bonacina apud, & cum Castropalao p. 16. n. 3. quod verum est de contractibus non tantum privatim, & nomine proprio, sed etiam factis autoritate publicà, & ratione officii publici, Sanchez l. 5. in Decal. c. 4. n. 78. Hinc etiam valet contractus matrimonii celebratus ab excommunicato; quia nullus est juris textus irritans; imò valere colligitur ex c. *Significasti*, de eo, qui duxit; ita Felinus, Covar. Ugolin. Sayr. Bonac. & alii. Deinde excommunicatio non impedit conjugalem convictum, utpote à natura concessum, & maximè necessarium; ergo licet talis contractus sit illicitus, non est tamen invalidus: Contrarium tamen docent aliqui apud Castropal. p. 16. n. 5.

2005 Sequitur 2. testamentum ab excommunicato vitando confectum valere; nulli enim habetur irritum; Sic Castropal. n. 6. contra nonnullos ibidem negantes. Deinde omnibus permittitur testari, nisi expressà lege prohibeantur, §. *fin.* Institut. quibus non est permittitur testimonium ferre. L. *Si queramus* ff. de testam. L. 1. C. de SS. Ecclesiis; sed excommunicato non est generaliter interdicta testamenti confectio: & ideo testamento relicta per mortuum in excommunicatione, & non absolurum, si sint sine onere pro illo applicandi communia Ecclesiæ suffragia, recipi possunt; non autem si secus; nam his privatus est; Sic Barbosa in c. *Sacris*, h. t. n. 4. Hinc etiam validè institui hæres potest excommunicatus vitandus; ad hoc enim minus requiritur, quam ad testandum; ita Coninch, & alii apud Castropal. n. 7. excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus tam activa, quam passiva testamenti confectio criminosis interdicitur. 1. hæreticis, eorumque fautoribus, c. *Excommunicamus*, §. *credentes*, de hæreticis; 2. percipientibus,

& in sequentibus Cardinalem, c. *Felicitis*, de poenis in 6. 3. Reis læsa Majestatis, ex jure civili; 4. Usurariis manifestis, nisi cautionem præstent, juxta c. *quamquam*, de Usuris in 6. extra hos casus testamenti confectio, quibusvis criminosis permittitur est.

## ARTICULUS XIV.

De Culpa, & pena communicationis cum excommunicato.

2006 Qures 1. an, qui cum excommunicato vitando in Sacris communicat, peccet mortaliter? item an ipse excommunicatus, si in his communicat cum alio? Castropalaus p. 18. ait, affirmativam teneri ferè ab omnibus Doctoribus juxta textum in c. *Significavit*, 18. de sent. excom. ubi excommunicatio major statuitur in Clericos scienter, & sponte communicantes in Sacris cum excommunicatis à Papa; hæc enim utpote maxima, ex vi excommunicationis, directè prohibetur. Ubi tamen nota cum Suarez, & Gibalino disq. 7. q. 9. n. 9. non bene inferri, transgressionem præcepti esse levem ideo, quia est in materia indirectè solum prohibita. Per *sacra* autem, ait Castropalaus hic, intelligi Sacramenta, officia Ecclesiæ solemnia, & sepulturam. Ex hoc inferitur, communicationem in rebus sacris prohibitam vi excommunicationis, si non fit in materia gravi, non esse per se mortalem, ut tenet Barbosa in c. *quod in dubiis*, h. t. n. 4. Talem non gravem censet Castropalaus n. 2. recitationem divini officii privatim fidelis cum excommunicato, vel hujus cum illo; collationem beneficii, ejus receptionem, usum, & jurisdictionis Ecclesiastica exercitium. Non enim censentur materia *sacra gravis*; nec enim ratione sui, & ex se sunt sacræ; sed ratione finis, vel principii, à quo fluunt: quamvis per accidens talis communicatio fieri possit gravis, scilicet ex vi nullitatis, quæ regulariter in talem actum inducitur ab excommunicatione vitanda. Præter hoc notand. ex Gibalino, triplices esse actiones, sacræ, profanas, & temporales, ac medias. *Sacræ* sunt, quas dixi n. 1874. *Profana*, quæ nihil habent commune cum Sacris; *media*, quæ pertinent ad collationem beneficiorum, electionem, presentationem, acceptionem &c. Hæ enim pertinent ad fo-

rum



rum sacrum, in quo sacra jurisdictione proceditur: dicuntur autem *sacra* non ex se, sed vel ratione finis, vel ratione principii.

2007 *Quæres 2.* An peccet mortaliter, vel fidelis, vel excommunicatus, si invicem communicent in aliis rebus, quàm in sacris, v. g. communicatione civili? *R.* hanc communicationem ex genere suo solum esse venialem; ita Gibalinus, *disquis.* 7. q. 9. n. 9. Castropalaus D. 2. p. 8. n. 2. quia talis communicatio communi sensu non censetur ex se materia gravis. Hinc complures tenent, etiam communicationem in sacris, quantum est ex genere suo, gravem, ob parvitatem materiae, fieri posse levem; sic Gibalinus loc. cit. §. *circa hanc.* Et quamvis afferantur aliqui textus juris, quibus aliqui probant, communicationem cum excommunicato in quavis actione gravem esse; eos tamen bene expositos habes apud Castropal. p. 18. ubi ostendit, eos non probare universaliter, sed tantum in certis casibus, scilicet, si communicatio sit essentialiter mala, nimirum independenter à prohibitione; ut si sit in crimine criminoso, seu illo, propter quod alter excommunicatus est, & paucis aliis.

2008 *Circa pœnas autem communicationis illicitæ cum excommunicato, quæstio est, quæ illi iure decreta sit? R.* quod excommunicatio minor. Nam in c. *statuimus*, 3. de sent. excom. in 6. id expressè deciditur de excommunicatione minori, *quamvis ibidem addatur;* quod si excommunicatus vitandus ex locatione, & aliis, propter quæ communicans labitur in excommunicationem minorem, fortius indurescat, *posse communicantem, post monitionem canonicam, simili censura damnari;* non autem hæc omisâ: juxta hunc textum explicandi sunt alii, quibus nonnulli volunt in pœnam dictæ communicationis statui excommunicationem majorem; licet enim excommunicatio simpliciter prolata, stet pro majori; id tamen solum valet, nisi aliunde, vel ex alio titulo, vel ex sola materia oppositum colligatur. Hinc licet nulla communicatio illicita cum excommunicato puniatur aliâ pœnâ, quàm excommunicatione minori, regulariter: sunt tamen casus pauci, in quibus oppositum expressè statuitur in jure, tali communicationi imponente in pœnam excommunicationem majorem. Talis est communicatio cum excommunicato in crimine criminoso,

cujusmodi est id, propter quod hic in excommunicationem incidit; tunc enim dicitur communicare cum illo in crimine criminoso, c. *Si concubina* 55. & si Clericus participat scienter, & sponte, cum excommunicatis à Papa, eosque in officiis divinis recipit per cit. c. *significavit*, 18. h. t. ita P. Stephanus Bauny de Censur. in epitome de excommunic. cit. c. 17.

Præter hæc notand. communem quidem esse regulam, quod omnes Christiani, Ecclesiæ præcepto teneantur, non communicare in præfatis cum excommunicato vitando, secundum doctrinam prius allatam; & ab illa lege prohibente communicationem cum excommunicatis vitandis excipi solum Pontificem; non autem Episcopum (nam & hic tenetur vitare excommunicatum à se, ut habetur c. *nunquam*, de sent. excom.) esse tamen aliquos casus, in quibus Ecclesia noluit obligare fideles ad vitandum excommunicatum, alias non toleratum, quos Authores plerumque expriment per verba sequentis versis: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*, ut notat Hurtado diff. 4. tum alii; & colligitur ex c. *quoniam multos*, 11. q. 3.

Per *utile* significatur non prohiberi communicationem fidelibus cum excommunicato, alias non tolerato, si cum illo agendum est, vel agatur propter *utilitatem* non utunque acceptam, sed i. propter spiritualem ejus utilitatem, ex c. *com voluntate*, 54. de sent. excom. Sic admitti potest ad concionem, c. *responsi*, 43. eodem, & admoneri per literas, vel alia signa, directè pertinentia ad ipsius spirituale bonura; Sic Hurt. diff. 4. qui etiam concedit, audiri propter eundem finem posse confessionem Sacramentalem excommunicati, ante absolutionem ab excommunicatione, non tantum cum agitur de utilitate spirituali excommunicati, sed etiam temporalis.

2. Idem licere propter propriam utilitatem spiritualem, aut temporalem, quam quis sperat ex communicatione cum excommunicato, alias non tolerato, docet Hurtado n. 20. quando ea æquè commodè haberi nequit à non excommunicatis; nam excommunicati pœna non debet esse oneri aliis innocentibus. Hinc infert, in dicto casu posse fidelem audire concionem ab excommunicato, consilium, favorem, vel elemosynam, petere debitum, ac legatum ab ipso relictum accipere.



cipere; Epistolam ab ipso scriptam legere, post ejus obitum. Hinc in *e. inter alia* 31. de sent. excommunic. traditur hæc regula: quod, qui prius obligati alicui erant ad familiare obsequium; eidem etiam excommunicato communicare teneantur; excipiuntur tamen Clerici respectu Episcopi, & Monachi subditi respectu Abbatis excommunicati, nisi habeant titulum subjectionis; temporalis servitii; Sic Barbosa ibi, n. 10. & 11. aliud est quoad actus jurisdictionis; nam sine his præstari possunt servitia, consequenter in illis non tenentur; Barbosa n. 9.

2011 *Lex* hic significat legem, seu obligationem conjugalem; propter quam ab obligatione non communicandi cum excommunicato vitando excipitur uxor. Hæc enim non solum quoad usum conjugalem, & obsequia solita, sed etiam quoad omnia alia communicare potest cum marito excommunicato vitando, ut constat ex *e. inter alia*, 31. de sent. excom. & tenet Hurtado cit. D. 9. de excom. diff. 4. Excommunicatio enim, ut dixit Innocentius III. in cit. *e. inter alia* non privat excommunicatum suo jure; ergo illi reddendum est, quod ei debetur; & quamvis in *e. quoniam multos*, 11. q. 3. solum sermo sit de uxoris, quibus permittitur communicatio cum excommunicato marito (cum frequentius sit excommunicari viros, quam mulieres) extenditur tamen etiam ad maritum respectu uxoris excommunicatæ propter allatam rationem. Hæc tamen omnia intelligi vult Castropalaus, si quis conjugum excommunicatus ob aliam causam, quam matrimonialem; Sic etiam Bauny de cens. D. 6. q. 4. & Barbosa in cit. c. n. 5. tunc enim excommunicatio (cum pender lis, & divorcium de valore matrimonii) petit eorum cohabitationem impedire. Deinde etiam, si unus scienter nupsit excommunicato vitando; sed hoc negat Sanch. de matr. l. 9. D. 14. n. 11.

2012 *Humile* significat obsequia à servis Domino; à liberis Patri exhiberi posse sine poena, aut culpa; Bauny cit. *f. Lex*, & habetur *e. si verè*, 34. h. t. Notat autem Hurtado cit. n. 24. per *servos* hic non intelligi vasallos; hi enim nec sunt filii, nec servientes, nec aliter de familia Domini temporalis. Et ob eandem rationem vult etiam clericos non excipi à prohibitione communicandi cum excommunicato suo

Tom. V.

Episcopo, nec e contra. Solum ergo ly *humile* comprehendit servientes ex obligatione prius, quam incurreretur censura, contracta. *Res ignorata* significat ignorantiam tam juris, quam facti, quæ sicut operantem eximit à peccato, sic etiam eximit à poena. *Necessè* verò significat necessitatem tam spiritualem, quam temporalem excommunicati, vel communicantis, quæ si postulet communicationem excommunicati cum non excommunicato, vel e contra facit immunem à culpa, & poena; Sic Bauny de censur. D. 6. q. 4. ex *e. inter alia*, 31. de sent. excom. Quod enim non est in lege licitum, necessitas licitum facit, inquit 4. regula juris.

## ARTICULUS. XV.

*De remoto effectu excommunicationis majoris.*

2013 **T**Res effectus habet excommunicatio major, qui remote vocantur, ut ait Hurtado hic D. 11. n. 1. quia non incurruntur immediatè ob excommunicationem, sed ob transgressionem excommunicationis vel prohibitionis. Primus est, quod is, qui convenitur super crimine sive civiliter, sive criminaliter, & ob contumaciam in ea causa excommunicatur, atque in ea excommunicatione per annum perseverat, censetur convictus de eo crimine, ut deducitur ex *e. rursus*, ibi: *si verò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea audiat. & c. quicumque*, 11. q. 3. ubi Gelasius Pontifex, *Quicumque*, ait, *intra anni spatium civiliter, sive publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi aditum audientia clausisse videantur.* Quod si obstinato animo sine communionem defuncti fuerint, nos eorum causam, juxta B. Leonis Prædecessoris nostri sententiam, divino judicio reservantes, *quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus.*

2014 Secundus est, quod is, qui excommunicatione (idem dic de suspensione & interdicto) innodatus, obdurato animo in ea per annum perseverat, fiat suspectus de hæresi, & ut talis possit puniri; intellige secundum praxim, quod inducat purgationem, in qua, si deficiat, puniri poterit ut hæreticus. Tertius effectus est irregularitas, quæ incurritur à Clerico excommunicato, suspensio, vel interdicto, exercente soleniter

LII

niter



niter officium Ordinis sacri, quem habet, ut constat ex c. 1. de sent. & re iudicata, ibi: *Si suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet;* id, quod etiam habetur in c. 1. h. t. in 6. ibi: *Si contingeret, eos sic suspensos divina officia exequi sicut prius, irregularitatem non effugient juxta Canonicas Sanctiones;* item c. 15, cui, 20. eod. in 6. Sic Hurtado loco cit. quibus addit Bauny de censur. tract. 1. q. 10. etiam de illo, qui tale quid coram se exerceri scienter imperat. Hæc tamen intellige de re ipsa censurato; non eo, qui solum talis putetur.

2015 Nota autem, hanc irregularitatem esse reservatam Papæ, licet excommunicatio esset ab inferiore Prelato per cit. c. 1. de sent. excommunicatio in 6. ibi: *Super qua non nisi per Summum Pontificem poterit dispensari.* Procedit autem hæc poena excommunicati, si divinis se ingerat, si ligatus sit excommunicatione majori. Nam de hac simpliciter accepta textus loquitur; qui enim in excommunicatione minori celebrat, ob hoc non fit irregularis. Sic Bauny loc. cit. t. 1. q. 10. & probabilius intelligitur de exercitio officii, quod ab Ordinibus pendet; & solum infligit poenam propter talem actum *presumptuose*, ac *temerè* exercitum.

## ARTICULUS XVI.

### *De Excommunicatione minori.*

2016 **E**Xcommunicatio minor est censura Ecclesiastica, quæ propter communicationem cum excommunicato contracta privat usu passivo Sacramentorum, ac participatione beneficiorum Ecclesiasticorum; sic Bauny de cens. t. 5. D. 6. q. 1. patet ex c. *Si celebrat*, de Cleric. excommunic. ministr. Incurritur etiam ab Episcopo communicante otiosè cum excommunicato vitando, esto denunciatus sit ab ipso; Barbosa in c. *cum desideres*, hic n. 4. Inter ejus effectus primus est, amittere jus passivum recipiendi Sacramenta; secundus, excludere ab electione passiva ad beneficium, quatenus, si electio talis excommunicati fiat, irritanda est, ut patet ex c. *Sic celebrat*, de excommunic. ministrante; ubi Gregorius IX. sic loquitur: *Si celebret à minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, ex-*

*ercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda. pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione, a sanctis Patribus est privatus.* Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sed ab eo collata virtutis non caret effectu, cum non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus. Dummodo non in contemptum Ecclesiasticae disciplinae, videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingererit: in quo casu est anathemate feriendus.

Not. tamen 1. quod excommunicatio minor directè privet solum jure passivo recipiendi Sacramenta; & tantum indirectè jure passivo recipiendi beneficia; ideo enim privat illo, quia privat receptione Sacramentorum, ad quam beneficium saltem remote ordinatur, quia ordinatur ad celebrationem, ac proinde ad susceptionem ordinum, & Eucharistiæ; Sic Hurtad. D. 14. diff. 1.

Not. 2. mutuum communicationem fidelium, & excommunicati (ob quam solum nunc contrahitur excommunicatio minor, ut notat Hurtado cit. D. 16. n. 1.) prohibitam esse, ut vult Hurtad. D. 11. diff. 2. n. 5. intuitu ac virtute religionis; ac proinde esse peccatum oppositum religioni, quod Hurt. vocat peccatum irreligiositas; facta enim prohibitio est in odium excommunicati, tanquam indigni communicatione fidelium, qui sunt membra Ecclesiæ.

Not. 3. Susceptionem Sacramentorum in excommunicatione minori illicitam esse, cum violat prohibitionem Ecclesiæ; & quidem, ut vult Hurtado D. 16. Diff. 1. n. 2. mortaliter, ut habetur ex textu in c. *si celebrat*, de quo supr. ubi dicitur, quod, si in excommunicatione minori celebret, *peccet graviter*; non autem, quia ministrat, ut patebit; ergo quia recipit. Dubitatur autem, an licet Sacramenta illicitè, tamen valide recipiat? affirmativam teneri à Navarro, & Covar. Vasquez autem, & alii, quos citat, & sequitur Hurtado cit. n. 3. ait, esse inhabilem ad recipiendum Sacramentum poenitentiae, esto naturaliter oblitus esset suæ excommunicationis; quod Ecclesia cum removeat à Sacramentorum susceptione, quantum potest; Sed P. Anton. Efcobar. Theol. mor. l. 10.



50. sect. 2. d. 51. probabiliter censet, quod etiam poenitentiam valide recipiat, si nullam in eius receptione culpam commisit; Ecclesia enim licet prohibeat, non tamen irritat.

2020 Not. 4. in quaestione, an talis illicitè ministrat Sacramenta? affirmativam teneri à Soto, Layman, Suarez, aliisque apud Bauny t. 5. D. 6. q. 1. qui docent cum peccare venialiter; sed probabile cenfeo, nec venialiter peccare. Non enim agit contra ullam legem; nec etiam ex eo, quod recipere sit prohibitus, irreverentiam facit dando. Sic Navarr. apud Bauny, §. quodsi, Fillucius tr. 13. n. 22. Suarez D. 24. S. 2. n. 12. aliique apud Escob. cit. n. 281.

2021 Unde cum in c. Si celebrat, dicitur de excommunicato excommunicatione minori: peccat autem confitendo Ecclesiastica Sacramenta, intelligendum de collatione eorum, quæ conjuncta est, cum susceptione, ut colligitur ex contextu, ubi dicitur, quod non videatur remotus à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione. Hinc excommunicatus excommunicatione minori potest aliquem ab excommunicatione licitè absolvere. c. duobus, 56. de sent. excom. ibi: duobus collata potestas, ut à minori excommunicatione, si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroque ligato vinculo excommunicationis hujusmodi, non expirat.

2022 Not. 5. excommunicatum excommunicatione minori, ex hoc, quod illicitè in illa celebret, non fieri irregularem. Nam ut in tali casu illa irregularitas contrahatur requiritur peccatum commissum ob activum exercitium Ordinis: sed ex eo, quod celebret activè, non committit ullum peccatum; peccat enim solum ex eo, quod sacram Eucharistiam recipiat; ergo. Sic Hurtado cit. n. 5. & habetur c. Si celebret, cit. in n. 2016.

2023 Not. 6. Electionem passivam taliter excommunicati, prababilius valere; & solum irritandam esse; cum scienter facta est; ut dicitur. Si celebret, in n. 2016. Unde quando Innocentius III. in c. postulas, eod. electionem excommunicati vocat irritam, loquitur de excommunicato majore; nam hæc semper intelligitur, ubi simpliciter sermo est de excommunicatione juxta n. 1855. Neque dicas: ergo si talis electio fiat cum ignorantia, quod eligendus irreti-

Tom. V.

tus sit excommunicatione minori, non erit irritanda; sic enim non est facta scienter. Re. enim cum P. Bauny, §. ad partem alteram, negando illatum; quia ignorantia non facit eum habilem, qui ratione excommunicationis inhabilis est ad persistendum in electione facta; unde talis electio non deficit à firmitate ratione eligentium illum, sed ratione eligendi.

Not. 7. hanc excommunicationem 2024 vocari minorem, non quod parvâ re prive; sed primò, quia infligitur ob minus peccatum, quam excommunicatio major; 2. quod habeat minores & pauciores effectus, quam major; 3. quod opinione hominum minus sit, tantùm à Sacramentorum participatione removeri, quam ab omni Fidelium communione.

Not. 8. causam materialem hujus cen- 2025 suræ esse conversationem, seu communionem cum excommunicato vitando, sive mortalis sit, sive venialis. Causam efficientem esse secundum jus, & hominem. Jus, quod ipso facto infligit hanc censuram ei, qui illicitè communicat cum excommunicato; hominem, cum casu imponit in poenam culpæ. Sed hoc postremum nunc in casu non est. Contrahitur autem in omni casu illicitæ communicationis cum excommunicato vitando, de quo in præmissis actum est. Illud not. per communicationem cum excommunicato vitando semper quidem incurri tantùm minorem excommunicationem; esse tamen casus, in quibus si Clericus scienter, & sponte in divinis communicat cum excommunicato à Papa, incurratur excommunicatio major, ut jam diximus ex c. Significavit, 18. h. t.

## ARTICULUS XVII.

### De absolutione ab excommunicatione.

Quæ pertinent ad absolutionem à cen- 2026 suris in genere, diximus à n. 1819. ubi etiam de divisionibus variis hujus absolutionis, aliisque ad eam pertinentibus. In præsens agendum de eo, qui per absolutionem tollere possit excommunicationem. Cum autem jam dixerimus à n. 1820. an excommunicatio possit auferri absque absolutione? 2. à n. 1820. an tollatur morte censurati, vel censurantis? 3. à n. 1823. an solâ emendatione Rei? 4. ex n. 1823. an lata ad tempus, eo ipso sine ulla absolutione cesset appulsu termini?

LII 2

§. ex



5. ex n. 1833. an absolutio ab excommunicatione fieri possit sub conditione? 6. ex n. 1841. utrum ut absolutus ab excommunicatione ad reincidentiam, in eam reincidat, sit necessaria nova culpa? 7. ex n. 1844. quæ forma sit necessaria ad absolutionem ab excommunicatione? cum inquam, hæc jam præmissa, procedimus ad reliqua. Unde

2027 Quæres 1. An possit quis absolvi ab excommunicatione incurta ob injuriam alteri factam non satisfactâ parte? R. non posse licitè, si possit satisfacere, & hoc ex c. 2. de sent. excom. in 6. ibi: *nisi prius sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de parendo juri, si offensa dubia proponatur.* Secus est, si non possit satisfacere, modo similiter præstet cautionem, se facturum, cum poterit. Si autem alicuius iurisdictionis absolutio ab excommunicatione detur cum clausula, *satisfacta parte?* poteritne tunc licitè absolvi poenitentem, qui non potest satisfacere parti, vel non nisi cum magno detrimento, esto præstet dictam cautionem? R. affirmativè; ea enim clausula tantum fit, ut satisfaciatur, si possit; sic Vasquez, Henriquez, & alii cum Hurtado diff. 5.

2028 Circa hanc quæstionem not. 1. ex Hurtado loc. cit. ab Ordinario, vel etiam eo, cui absque privilegio generaliter delegata est potestas absolutionis à censuris simpliciter, nullâ additâ limitatione, validè absolvi eum, qui esto commodè possit, parti læsa non satisfacit, quamvis in commisso addatur: *satisfacta prius parte*, si subdatur, & aliter non absolvet, his enim postremis verbis notatur absolutionem aliter factam non irritari, sed tantum prohiberi; sic ille, licet non immeritò videri possit, dictam satisfactionem requiri tantquam formam, saltem, ubi alicui potestas absolvendi delegata est ex privilegio, vel commissione particulari, cum clausula: *satisfacta parte* absque aliis verbis, quibus denotatur nullitas, aut valor absolutionis, prout affirmant Vasquez & Suarez, apud Hurtad. diff. 5. n. 22. licet Avila & Sancius etiam in hoc casu censeant, per eam clausulam non limitari potestatem, sed tantum admoneri, ut servet formam juris communis. Quando autem Papa absolutionem excommunicati delegat, mandat recipi cautionem de parendo deinceps Ecclesiæ, c. *adhuc*, 12. h. t. ibi: Romana

Ecclesiæ absolutionem sententiæ delegatorum Judicum nequaquam consuevit alius delegare: nisi in literis commissionis contineatur, expressè de sufficienti cautione præstanda ab his, qui absolvi debent, quòd iudicio Ecclesiæ debeant obedire.

Quæres 2. quomodo absolvetur pluribus censuris ligatus? R. breviter, si absolvens habeat expressum animum seu intentionem absolvendi ab omnibus à quibus validè potest; & utitur verbis v.g. *absolve te ab excommunicatione*; poenitentem ab omnibus absolutum esse: Si verò non habeat illum expressum animum, censeri eum absolvi ab illis, quas poenitens expressit; Hurtado diff. 6. Ceterum excommunicatus à pluribus Judicibus ob diversas causas, cum ab uno absolvetur, tacitis aliis causis, ab his non liberatur, c. *officiis*, 42. h. t. nisi is possit ab omnibus, & animum habeat liberandi ab omnibus Reum dispositum. His positis:

S. I.

Quis ritè absolvat ab excommunicatione majori?

PRIMA quæstio est, an id possit Clericus non Sacerdos; pro resolutione supponendum, omnem Sacerdotem habentem iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, seu judiciali, sive ordinariam, sive delegatam, posse absolvi ab excommunicatione majori, non reservata; sic Hurtad. D. 5. diff. 1. hanc autem censetur habere 1. qui habent similem potestatem ferendi excommunicationem maiorem, de quibus egimus à n. 1627. deinde illi, quibus id competit ex privilegio, vel alio jure speciali, quibus positus colliges, quòd, quamvis ordinaria potestas absolvendi semper juncta sit cum potestate ligandi, cum hac tamen illam non semper conjunctam esse, ut liquet ex c. *Tua nos*, 19. de sent. excom. ubi absolutio excommunicationis publicata, quam incurrit injicientes manum in Clericum, vel incediarii, reservatur soli Papa. His prænotatis

Quæstio est, an Clericus non Sacerdos, qui habet iurisdictionem Ecclesiasticam in foro judiciali, ac potest non tantum in eodem foro excommunicare, sed etiam ab excommunicatione absolvi, possit etiam absolvi pro foro conscientia, & quoad DEum? an talis Clericus non Sacerdos, nullam habens iurisdictionem in foro



foro exteriori possit existentem in articulo mortis absolvere ab excommunicatione majori? Ad 1. negativam tenet Sylvester V. *Absolutio* 1. §. 3. casu 5. & non pauci Canonistæ.

Nam in c. *Canonica*, 50. de sent. excom. exigi videtur, ut absolvens sit *Prefbyter*, ibi: Nos ergo ad vos statutum hujusmodi duximus extendendum auctoritate præ: statuentes, ut in tali casu (nisi majoris sit providentia requirenda) per *Priorem vestrum*, qui (sicut audivimus) *Prefbyter esse debet, fratribus vestris absolutio- nis beneficium impendatur*: affirmativam verò probabilius docent D. Antoninus, Covar. Avila, alique cum Hurtado, diff. 1. n. 2. quia quibus conceditur potestas verè ligandi (Math. 18.) etiam conceditur potestas verè solvendi. In dicto autem c. *Canonica*, sermo est de absolutione à culpa reservata Papæ, propter quam incurta est excommunicatio; ibi enim sermo est de casu, quo Monachi & Canonici Regulares quocumque modo se percusserint. Hoc verum esse volunt solum quoad *forum judiciale*; nam quoad poenitentiale, debere esse Sacerdotem, docet Barbosa in cit. c. n. 4. quod tamen procedit solum, ubi absolutio fieri debet *Sacramentaliter*. Ad 2. affirmativam tenent Sylvester, & Angelus apud Hurtad. cit. n. 3. §. *Circa*. Nam Ecclesia potest illi hanc facultatem concedere; & ex benignitate præsumitur pro tali articulo concedere, cum sit pia Mater. Negativam tamen rectius tenet communior cum Suarez D. 7. S. 7. quia talis absolutio non est necessaria ad salutem; consequenter pro tali casu immeritò præsumitur.

§. 2.

*Quis possit absolvere excommunicationem latam à jure?*

2032 **R**esp. Si non sit reservata, esto lata sit à jure Pontificio, vel Synodali, etiam per Papam confirmato, posse Episcopum. Nam in c. *nuper*, 29. de sent. excom. dicitur, quòd, *quando Canonis Conditor absolutionem sibi non reservat, eoisso videatur aliis concedere facultatem relaxandi*; quòd, tamen ibidem dicitur solum de excommunicatione minori (ut notat Hurtado diff. 2.) tamen etiam intelligitur de majori, ob rationem eandem ibi adductam. Intelligitur autem hic nomine *Episcopi*, omnis habens jurisdictionem quasi Episcopalem, ut

alibi jam sæpe diximus. Sed quares, an ab eadem excommunicatione non reservata possit absolvere proprius Parochus, vel etiam Confessarius alius, licet non Parochus? Negativam tenet Paludanus; quia hi carent jurisdictione fori exterioris; affirmant probabilius Navarrus, Vasquez, & alii. Nam ad hoc sufficit concessio potestatis exterioris, ex voluntate excommunicantis; hæc autem habetur, ubi non reservat talem absolutionem; & fieri potest etiam extra confessionem ab omnibus prædictis; ita Hurtad. diff. 2. n. 7.

2033 Respondetur 2. si excommunicatio reservata sit, absolutionem, extra mortis articulum, fieri posse tantum ab eo, qui reservavit, vel ejus Superiore; sic enim coipso, quod reservetur, alii non conceditur facultas. In articulo mortis autem conceditur facultas cuilibet Sacerdoti dandi talem absolutionem, quacumque censurà innodato, ex Tridentino sess. 14. c. 7. pro quo tamen nota, absolutionem tunc dandam sub conditione, seu potius onere comparendi coram legitimo Superiore, si absolutus poterit, eoque jurato; quamvis hoc juramentum à pueris exigi non debeat. Sic Hurtad. n. 9. Si autem is, qui habet censuram Papæ reservatam, ipsum adire nequeat, sub prædicto illum onere absolvere potest Episcopus etiam extra articulum mortis; quod intelligitur de quibuscumque excommunicationibus reservatis, nec opus est mittere ad Pontificem; nec etiam adire delegatum Papæ, modo verificetur strictè, *quòd non possit adire Papam*; Sic Hurt. cit. n. 10. Idem posse Parochum, si personæ ipsius subditæ non possint Episcopum adire, & instet necessitas communicandi, vel celebrandi, amittique nequeat sine scandalo, vel nota infamiae, tenet Castropalaus apud Mathæum de Moya in quæstionibus select. Theol. mor. t. 3. D. s. q. 1. n. 5. intelligens id de casibus non tantum Papæ, sed etiam Episcopo reservatis.

2034 Præter hæc not. in Trid. sess. 24. c. 6. de reformat. ampliata Episcopis esse potestatem in hac materia. Textus sic habet: *Liceat Episcopus in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus (excepta eà, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostoli-*  
care.



*ca reservatis, delinquentes, quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolvere, impositâ penitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientie, eis tantum, non eorum Vicariis, sit permiffum.*

2035 Si petas, an Episcopus uti possit dictâ concessione Tridentini quoad casus Bullæ cœnæ, etiam hæresis, & excommunicationes eis annexas? Affirmativam docent Henriquez, Ledesma, Lorca, Rodriquez & alii apud Hurtadum n. 12. negativam ibidem Toletus, Azor, Molina, Suarez; utramque opinionem probabilem censet Hurtado.

2036 Dices: hæc propositio (*sententia afferens Bullam cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacra Congreg. Eminentiss. Cardin. visæ est, & tolerata*) est inter propositiones ab Alexandro VII. damnata tertia; ergo non amplius uti possunt Episcopi dictâ Tridentini facultate. Responderi fortasse posset ab Authoribus negantibus, ex damnatione allata propositionis nihil concludi aliud, quàm quòd falsum sit, dictum, seu assertum ejus propositionis, nimirum eam sententiam in Consistorio S. Congreg. Cardin. esse visam, & toleratam, consequenter verum esse oppositum, nempe *vel non visam, vel non toleratam*. Deinde iidem respondere possent, ut verificetur, falsum esse assertum, quod Bulla Cœnæ solum prohibeat absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogat facultati Tridentini, in qua de occultis sermo est, satis est, si dicatur, per Bullam Cœnæ illis prohiberi etiam absolutionem ab hæresi, licet occultâ; & in hoc derogatum esse dictæ constitutioni Tridentini; prout tenent Toletus, Garcia, Sanchez, Suarez & complures alii apud Barbos. in cit. Sess. 24. c. 6. n. 52. afferentem non paucos esse Doctores, qui dicunt sic declarasse Gregorium XIII. fuisseque in Supremo Generalis Inquisitionis Prætorio pronuntiatum, & non semel decisum. V. infra à n. 2494.

2037 Questio ulterius est 1. an Regulares ex privilegio habeant facultatem absolvendi ab excommunicatione majori? R. variis Religionibus concessam esse facultatem

absolvendi ab omnibus excommunicationibus Papæ reservatis. Not. tamen in tali facultate generaliter concessa, non comprehenditur casus Bullæ Cœnæ; isti enim sunt specialissimè reservati, ac proinde sub generali concessione non continentur, ubi non exprimuntur.

Questio est 2. an quoties conceditur facultas à casibus Pontifici reservatis, etiam censetur concedi à casibus reservatis Episcopo? affirmat ex communi Doctorum Hurtado de censur. D. 15. diffic. 3. n. 14. hæc enim est minor, & continetur sub facultate Pontificia; id tunc esse manifestum, ait, cum conceditur facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis, addendo: *ad hoc Summo Pontifici*, quod aliquibus etiam videtur, si dicatur: *ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis*. Nam ly etiam denotat præter reservatos Papæ, alios.

Dices: hæc propositio. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate*, est inter propositiones ab Alexandro VII. prohibita duodecima. Deinde in bulla Clement. X. quæ incipit: *Superna Magni Patris*: editâ 2. Aug. 1670. & apud Franciscum de Verde, in anacaphaleosi sent. prohibita. habetur hæc propositio: *habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolica reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere*; ergo. R. omnino tenendam esse prohibitionem Alexandri, dicendumque Regulares dictam potestatem non habere, nisi obtentâ ad id Episcoporum, vel Papæ facultate; non enim rectè arguitur ex hoc antecedente: *Mendicantes habent facultatem absolvendi ab omnibus Papæ reservatis*; ergo etiam absolvendi Episcopo; qualiter non bene argueret, qui sic diceret: *Monachus est privilegio Papa dispensatus ad beneficium curatum; ergo etiam ad simplex; Episcopus est dispensatus ad dignitatem majorem; ergo etiam ad aequalem, vel minorem*. Et ideo etiam præcitati Doctores locuti sunt, non ex illo antecedenti nudo, sed aliis adhuc terminis affecto, ut liquet ex ipsorum fundamentis bene animadverso.

Questio est 3. an quando in privilegio, pro absolutione à casibus, & censuris reservatis, non fit ulla restrictio, ut valeat tantum pro foro conscientie, absolutio facta vi talis privilegii, vel etiam jubilæi, valeat etiam pro foro exteriori? R. negativam tene.



teneri à Convarruvia; affirmativam à Suarez D. 7. sect. 5. n. 10. quia tunc non est, unde limitetur; & posse absolutionem ab excommunicatione, ac aliis censuris fieri, etiam extra Sacramentum poenitentiae, docet Hurtad. cit. diffic. 5. & nos jam alibi diximus.

2041 Quæstio est 4. quæ intelligatur, quando in aliqua dioecesi reservatur *excommunicatio major*, an lata tantum, an etiam ferenda? sive sit à jure, sive ab homine? R. 1. non intelligi ferendam, sed latam; quia cum simus in materia odiosa, ly *excommunicatio major*, strictè accipiendum est, sed excommunicatio ferenda non est talis absolute, sed erit, 2. non intelligi casus Papales habentes annexam excommunicationem, sed tantum eos, quos dioecesanus reservat ob peculiare bonum suæ Ecclesiæ, præsertim cum casus Papales sint extra jurisdictionem inferiorum; id, quod confirmatur ex declaratione Clementis VIII. apud Quarantam V. *Casus reservati*, fol. 167. ita Quintanad. tr. 3. singul. 1. n. 6.

§. 3.

*Quis possit absolvere excommunicationem latam ab homine?*

2042 **D**icitur ab homine excommunicatus, qui talis est per excommunicationem, ab homine specialiter latam, vel medio præcepto, vel mediâ sententiâ speciali. Ab hac ergo excommunicatione primum potest absolvere is, qui eam tulit; 2. ejus Superior, 3. is, cui vel hic, vel ille hanc potestatem delegavit; 4. ejus Successor, 5. Capitulum Sede vacante; non autem alius, esto excommunicatio reservata non sit. Nam absolutio à dicta excommunicatione nullo jure conceditur; ut tribunal Judicis sit ordinariè illæsum, & non turbatum; Sic Hurt. de Censuris, D. 15. d. 6. n. 19. & Bauny mox citandus. Sed hæc intellige extra articulum mortis. Nam in eo quilibet Sacerdos à quocunque casu, & censura potest absolvere, per Trid. Sess. 14. c. 7.

2043 **Q**uæres 1. An in privilegio concessio ad absolvendum ab omni excommunicatione tam à jure, quam ab homine, intelligatur etiam facultas absolvendi ab excommunicatione per hominem specialiter lata? R. negativam teneri à Valquez, & Hurtado cit. contra Henriquez, Avilam & alios; quia est contra jurisdictionem Judicium,

quam eâ generali concessione turbandam concedi non est credibile, intellige lite nondum finitâ. Cæterum etsi P. Bauny cit. q. 27. Similiter teneat negativam; probabilem tamen reputat oppositam; non enim potestas solvendi à vinculis animæ, sine restrictione data, limitari debet, præsertim si derur alicui toti Ordini, vel per Jubilæum, quod tamen intelligi vult tantum pro foro conscientiae, ut notat ibid. §. *tertia assertio*; idem §. *priori* extendens etiam ad casus Bullæ, si cui datur generalis facultas absolvendi à censuris reservatis Papæ.

**Q**uæres 2. an saltem in eo privilegio veniat facultas absolvendi ab excommunicatione non reservatâ, generaliter ab homine lata? R. affirmativè; hinc iidem possunt absolvere ab hac censura, quos poste diximus à censura lata à jure non reservata. Quæ enim censura vagè fertur, ac nemine designato, in hac parte comparatur censuræ juris, & docet Layman l. 1. tr. 5. c. 7. cum Stephano Bauny de Censuris t. 2. D. 3. q. 20.

**N**ot. præterea quosdam esse casus, in quibus excommunicanti est interdicta absolutio ab excommunicatione à se lata 1. cum ipse factus est excommunicatus vitandus 2. cum eam intentavit autoritate Papæ sine ulla causâ notitia, 3. cum eam tulit consulto Superiore, & sententiam ejus confirmante, 4. cum lata est in incendiarium; hæc enim est reservata Papæ, ut dictum est supr. 5. si eum excommunicavit, ut delegatus Papæ, & ille in tali censura per annum, vel aliquanto amplius perseveravit. Nam anno cessante autoritas sic excommunicantis ex commissione cessat, hæc Bauny loc. cit.

§. 4.

*Quis possit absolvere ab excommunicatione minori?*

**R**esp. quod excommunicatus excommunicatione minori absolvi possit à proprio Episcopo, vel Parocho; ex c. *nuper*, 29. de sent. excom. ubi dicitur, quod, quando Canonis Conditor absolutionem sibi non reservat, eo ipso videatur concedere aliis facultatem relaxandi; sed excommunicatio minor reservata non est. Hinc etiam docet Hurtado D. 15. diffic. 2. n. 6. quod etiam ab ea absolvere possit confessarius Ordinarius, non Parochus; quia eo ipso, quod excommunicatio non reser.



reservetur, ejus absolutio videtur committi ei, qui aliàs potest à peccato, cui annexa est, ut non impediatur absolvere à peccato, à quo aliàs potest.

2047 Sacerdoti autem simplici non approbato, & solum absolvere valenti à venialibus, hanc potestatem negant Valquez, Avila, & Bauny t. 2. D. 3. q. 43. quia absolutio à poena requirit jurisdictionem contentiosam, quâ talis caret. Alii tenent affirmativam, ut Felinus, Armilla, & Toletus; quando sic excommunicatus non habet peccatum mortale; quia sic talis excommunicatus potest absolvi per talem Sacerdotem à veniali, à quo, ut non impediatur, cum excommunicatio minor reservata non sit, eoispo etiam poterit eum ab hac censura absolvere, ut possit eum absolvere, à quo aliàs potest.

2048 Hurtado D. 16. diffic. 2. ait, talem Sacerdotem posse illi dare absolutionem ab excommunicatione minori incurâ propter peccatum veniale, esto etiam alia mortalia tunc poenitens habeat, quia potest directè absolvere à peccato, propter quod hæc excommunicatio non reservata incurâ est. Felinus autem, & Armilla ibidem tenent affirmativam, esto hæc excommunicatio incurâ fuisset ob mortale; quia cum excommunicatio minor non exigit ad sui incursionem peccatum mortale, non videtur exigere absolventem, potentem absolvere ab eo peccato mortali.

### PARS III.

#### De Suspensione.

2049 **N**on omnem suspensionem esse censuram, sed interdum esse puram poenam Ecclesiasticam in odium delicti preteriti, tradit Tamburinus l. 10. tr. 2. c. 1. De utraque dicendum aliquid; potissimum tamen, in quantum est censura; cum sit propria hujus loci.

### ARTICULUS I.

#### Quid, & quotuplex sit Suspendio?

2050 **S**uspendio, prout est communis puræ poenæ, & veræ censuræ, definitur poena Ecclesiastica, quâ Clericus privatur usu functionum sui beneficii, officii aut Ordinis; Sic Pellizarius tom. 2. Manual. Regular. tr. 7. c. 3. l. 1. q. 1. Unde *censura erit*, cum imponitur in medicinam, nimirum,

ut fidelis relapsus ab inobedientia; pura verò poena, cum imponitur *in punitionem delicti commissi*. Difficultas est, unde cognoscamus, quòd, cum imponitur suspensio, imponatur jam *ut censura*, jam *ut pura poena*? Suarez de suspensione D. 25. sect. 1. n. 3. præscribit hanc regulam: cum imponitur ad certum tempus, vel ex materia, aut sine legis colligitur, imponi solum in punitionem delicti commissi, esse tunc puram poenam; quando verò non habet terminum præfixum, vel colligitur imponi, ut recedatur à contumacia, esse censuram; ita etiam habet D. 26. Sect. 1. n. 15.

Hurtado, de suspens. diffic. 3. & 11. docet, si suspensio feratur, vel addatur *in perpetuum*, vel *sine spe relaxationis*; vel ad tempus limitatum v. g. *ad biennium*; aut *donec Reus reipsa satisfaciat*, vel, *quamdiu iudex judicaverit &c. independenter ab ipsa poenitentia delinquentis*, semper esse puram poenam, esto feratur ob contumaciam; si verò feratur absque assignatione ulla temporis v. g. sic: *nisi hoc fecerit, suspensus sit*, vel, *si hoc fecerit, suspensus sit* (ubi scilicet attenditur ad poenitentiam delinquentis) fore censuram. Limitari tamen vult hæc doctrinam Tamburinus citandus infra n. 2055. ut suspensio sine termino temporis lata, tunc sit censura; cum aliunde ex sine, verbis, vel aliis circumstantiis non intelligitur, eo etiam casu, *tantum in delicti punitionem ferri*. Hinc si dicatur: *si suspensus, quia tale delictum commisit*, esto non exprimitur certus terminus temporis, quo duret, videtur esse mera poena, ut colligitur ex ipsis verbis solum delicti commissi punitionem significantibus. Sic Tamb. cit. n. 4. hinc facillè colliges definitionem suspensionis, quæ est censura, & quæ est mera poena.

Ad quæstionem, quotuplex sit suspensio? R. suspensionem strictè sumptam alteram esse à jure, alteram ab homine, ut diximus de excommunicatione n. 1857. ubi etiam vide reliquas ejus divisiones ipsi communes cum omni censura. Propria ejus divisio est in *totalem* (quâ scilicet quis privatur, seu suspenditur ab officio, & beneficio) & *partialem*, quâ quis suspenditur solum ab officio, vel solum à beneficio: suspensio autem ab officio subdividitur in alias pro varietate officiorum Ecclesiasticorum.

Si petas 1. an, quando in genere dicitur:



rit: *sit suspensus*, intelligatur suspensio *totalis*, vel *partialis*? Felinus, & alii dicunt intelligi tantum suspensionem ab officio; sed hoc sine fundamento dici, ait Hurtado cit. diff. 2. Tunc enim non fertur cum limitatione; ergo est suspensio ab omni eo, à quo esse potest; nisi fortè quis limitandum hoc censeat ex generali regula, in poenalibus mitiorem esse interpretationem.

2054 Si petas 2. quibus modis ferri possit suspensio? R. duobus, scilicet vel ut censuram, vel ut puram poenam. Quando autem feratur jam hoc, jam illo modo, diximus n. 2050. Not. autem cum fertur ut censura, eam ferri non posse, nisi propter delictum contra præceptum Ecclesie, esto non solum, (censura enim supponit contumaciam in Ecclesia) cum autem fertur ut pura poena, eam ferri posse ob peccatum solo jure naturali prohibitum; Sic Hurtado diff. 3.

2055 Si petas 3. Quid judicandum, quando omnibus expensis dubium adhuc apparet, an suspensio lata sit ut censura, an ut mera poena? R. censendum probabilius esse *censuram*. In lege enim odiosa benignior interpretatio est adhibenda, suspensionem autem esse *censuram*, magis subdito favet, quam esse poenam; mitior enim est poena ad salutem medicinalis, quam vindicta. Not. autem, quòd suspensio, quæ est pura poena, non prærequirit judicialem mentionem; secus, si sumatur, quæ censura, ut diximus, & habet Tamb. l. 10. tr. 2. de suspens. c. 1. n. 6.

## ARTICULUS II.

*Quos effectus habeat suspensio?*

2056 R. Esp. Suspensum ab officio absolutè (sine limitatione functionum officii) prohibitum esse ab exercitio omnium functionum Clericalium, atque adeo tam solennium Ordinis, quàm Ecclesiasticæ jurisdictionis. Officium enim utramque potestatem importat; sic Hurtado cit. diff. 4. n. 7. suspensum autem ab aliquo officio determinato non tantum esse prohibitum ab exercitio actionum illius officii, sed etiam ab exercitio actionum officii alterius, quæ *includunt* actum, à quo suspensus est; non autem si hoc officium tantum *supponat* actiones illius. Hinc suspensus à Diaconatu non potest celebrare, quia actus celebrandi  
Tom. V.

includit actum Diaconatus; e contra suspensus à Diaconatu potest audire confessiones, quia actus audiendi confessiones non includit actum Diaconatus; ita Hurtado cit. §. *conveniunt*, 2. Hinc nec fiet irregularis suspensus à Diaconatu, audiens confessiones, ut notat Pellizarius mox citandus, n. 22. quia non facit aliquid sibi per censuram directè vetitum. Suspensio autem ab Ordine absolutè, privat omni usu Ordinum, etiam minorum; non item jurisdictionis, aut alterius functionis, quæ fieri potest sine usu Ordinis; Pellizarius in manual. regul. tom. 2. l. 7. c. 3. S. 1. n. 21. Similiter justè suspensus à beneficio, prohibitus est percipere fructus beneficii, & hoc specialiter administrare etiam per Procuratorem; hi enim sunt proprii actus beneficii: Episcopus autem suspensus à Pontificalibus, prohibitus est quemcunque actum Ordinis Episcopalis, ut ordinare, consecrare aras, &c. non verò actus Jurisdictionis Episcopalis, nec actus Ordinum inferiorum Episcopaliū. Sic Hurtado cit. à n. 8. Sed hoc intellige juxta dicenda in seqq. quibus positus:

Dubiratur 1. an suspensus *ab officio*, 2057 *vel beneficio*, utriusque usum habeat interdictum? R. affirmativam teneri à Layman l. 1. p. 3. tr. 5. c. 1. n. 2. aliis dicentibus, fore tantum ab alterutro, quod ipse suspensus elegerit; Sic Purhesius apud Hurtadum cit. n. 11. Sed P. Bauny t. 8. de suspens. q. 8. §. *primum*, ait, neutrius illi usum esse interdictum; non enim ab utroque, ut patet ex ipsa disjunctione; non ab alterutro, quòd non sit major ratio pro uno, quàm pro altero. An autem quis suspendatur ab omnibus? si quis habet plura beneficia, & simpliciter à beneficio suspenditur? nec id colligi potest ex verbis, vel intentione suspendentis, colligendum est ex culpa, & ejus natura. Hinc si culpa respicit *ipsum statum Clericalem*, eo ipso suspenditur ab omnibus; si verò *Ecclesiam certam*, in qua habet beneficium, non verò alteram, in qua etiam habet beneficium, suspensus censetur à beneficio tantum illius Ecclesie; ita P. Bauny cit. §. 2. ex Ugolino.

Dubiratur 2. an suspensus à beneficio, 2058 eo ipso etiam sit suspensus *ab officio*? R. negativè; ab eo enim duntaxat quis per suspensionem prohibetur, quod verba sententiæ propriè significant; beneficium autem non significat *officium*; ergo; Sic Toletus

M m

letus



lerus l. 2. Summæ c. 43. n. 4. Ad quæstionem autem, an suspensus à beneficio, eo ipso etiam suspensus sit à jurisdictione? affirmat Bauny cit. si annexa sit beneficio, non autem officio. Nam accessorium principalis naturam sequitur. Cùm ergo jurisdictione sit effectus beneficii, ut ponitur (eius enim intuitu debetur beneficiario) suspensus ab ipso, est etiam ab illa: Negativam tamen tenet Hurtado diffic. 4. n. 9. quia licet actus jurisdictionis sint actus potestatis annexæ beneficio; non tamen est actus ipsius beneficii. Axioma verò illud hic locum non habet, quia ea tantum intelligenda est, quàm verba sonant.

2059 Dubitatur 3. quid prohibeatur per suspensionem *ab ingressu Ecclesiæ*? *¶* prohiberi cujuscunque ordinis intra illam exercitium solenne, & publicum. Nam is, cui Ecclesiæ interdictus ingressus (cùm sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat in suo agens officio, sicut prius. Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel cœmiterio Ecclesiastico (nisi poenituerit) sepeliri. Sanè sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minimè suspenduntur. Sic Bonifacius VIII. in c. *is, cui*, 20. h. t. in 6. Unde talis licet celebrat extra Ecclesiam in ara portatili, etiam in cœmiterio, aut oratorio privato; modo sacellum, in quo celebrat, non sit erectum autoritate Episcopi, aut oratorium non sit ab Episcopo designatum in perpetuum pro celebratione. Sic Pellizarius in manual. regul. t. 2. l. 7. c. 3. S. 1. n. 25. Similiter suspensus ab ingressu Ecclesiæ sepeliri non potest in Ecclesia, vel in cœmiterio: nisi ante mortem doloris signa dederit in Ordine ad absolutionem receptam, vel recipendam ex c. *is, cui*. Si autem impoenitens obiit, & tamen in Ecclesia sepeliatur, non polluitur per hoc Ecclesia; quia id nec in dicto Capitulo, nec alibi exprimitur, ita Sayrus l. 4.

2060 Dubitatur 4. an taliter suspensus, aliquam actionem ordinis intra Ecclesiam exercens, eo ipso efficiatur irregularis? *¶* quòd sic; quia id expressè deciditur in cit. c. *is, cui* 20. de sent. excom. in 6. ibi: *cùm sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta*; non autem si ali-

um actum officii. Nam irregularitas incurritur solum per exercitium ordinis prohibitum per censuram, quod non venit in casu nostro. Ubi etiam nota suspensum ab ingressu Ecclesiæ, potius, & magis propriè esse *interdictum*, quo etiam verbo utitur cit. c. *is, cui*, quàm *suspensum*. Nam suspensio propriè non privat auditione missarum, sed tantum celebratione; interdictum verò utroque.

Dubitatur 5. quid intelligatur per suspensionem *à Corpore, & Sanguine Christi*? Ad hoc respondet Armilla, V. *Missæ* n. 12. volens intelligi receptionem, SS. Eucharistiæ, esseque excommunicationem minorem partialem; alii, ut Paludanus, & Majolus apud Bauny loc. cit. dicunt, intelligi excommunicationem majorem: verior sententia docet intelligi suspensionem à sola celebratione Missarum; nam extra hanc rarò Sacerdos communicat; consequenter, cùm ea suspensio sit poena, ultra verborum proprietatem extendi non debet, atque adeo non de alia communicatione corporis, & sanguinis, quàm ordinaria; sic Filliucius de suspens. n. 104.

Dubitatur 6. quid importet suspensio *à divinis*? *¶* cùm quis suspenditur à divinis, prohiberi Clericis, & Religiosis sic suspensis recitare psalmos in choro, *insistere*, divina officia vel celebrare, vel audire, tanquam Clericis, & ex officio, & contravenientibus impositam esse irregularitatem, docet Pellizarius in manual. regul. tom. 2. l. 7. c. 3. f. 1. n. 20. quamvis id non procedat, sin actus faciant tanquam Laici; sic ille. Suspensio autem *ab administratione Ecclesiæ*, prohibet usum potestatis disponendi de rebus spiritualibus, si loquamur de administratione spirituali; si de temporalis, usum potestatis agendi in iudicio, super juribus, & possessionibus rei, quam quis administrat; nec non respondendi, & disponendi aliter, etiam extra iudicium; Sic Pellizarius cit. n. 27.

Cùm verò Episcopo dicitur: *suspendo à te ab Episcopali ordine*, non prohibetur aliud, quàm illi actus, qui Episcoporum sunt proprii, & Sacerdoti jure ordinario competere nequeunt; hi enim sunt actus ordinis Episcopalis, quàm talis; sic Bauny cit. t. 8. q. 8. §. *Sexum*. Cùm verò suspenditur à solis Pontificalibus, directè prohibetur usus insignium, quæ Episcopis ferre est in more; indirectè autem eo ipso reliqua



qua opera, quæ sine his ei obire non licet; non autem usus jurisdictionis; ad hunc enim non eget illis insignibus; ita ille loc. cit.

ARTICULUS III.

Quid Suspendio operetur in beneficiis?

2064 **P**rima quæstio est, an suspensus sit capax beneficii? R. quod velit prima sententia, à suspensio beneficii illicitè, & invalidè admitti; sic Lessius l. 2. de Just. c. 24. d. 22. n. 110. Secunda verò, quod electio vel collatio beneficii facta alicui suspensio, illicita sit, & irritanda, non autem ipso jure irrita; ita Suarez de censur. D. 26. S. 3. & D. 27. S. 5. n. 25. cum Bauny cit. §. *Septimum*. Ratio est, quia textus juris, quos affert prima sententia, non dicunt *casam, sed ut cassetur*. Deinde, cum Clementi III. (ut habetur c. *Cum bona*, 8.) propositum esset, an Canonici, propter contumaciam suspensi, ac triennio in eadem perseverantes, privari debeant beneficii prius habitis, ac interim acquisitis? respondit Pontifex: *Quod non licet eis illa, qua habuerunt beneficia, vel qua postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere*. Unde Batanen. Archi-Episcopo dedimus in mandatis, ait, ut eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apostolico, *beneficiis, qua habent, non differant spoliare*. Ubi vides, quod Pontifex eodem modo loquatur de beneficiis ante suspensionem habitis, ac obtentis post; at illa non tenentur sponte dimittere, cum dicantur *spoliandi per Archi-Episcopum* ex mandato Papæ; ergo nec ista.

2065 Altera quæstio est, an suspensus à beneficio, possit eligere, vel eligi ad novum beneficium? vel tale conferre, aut recipere? Supponendum autem nos loqui de casu, quo ei aliàs competit talis potestas, idque vel ratione officii, vel ratione beneficii; quo posito R. talem, qui habet vi officii electionem, vel collationem activam, utrumque licitè ac validè facere; sic enim usus ejus potestatis non est impeditus; secus si habeat vi beneficii; sic enim ab ea potestate foret suspensus; cum ponatur suspensus à beneficio, vi cujus ponitur habere potestatem illorum actuum; & pari modo discurrendum erit de electione, vel receptione passiva, aliud sentire videtur Hurtado, de quo diximus n. 2058. in fin.

Tom. V.

Tertia quæstio est, an suspensus ab ordine, liberetur ab horis Canonicis? Negativam sequitur P. Bauny loc. cit. esto in choro cantare deberet; quia precum perolutio propriè non est ordinis actio 2. quia Ecclesia non vult, ut quis lucrum referat ex turpi aliquo suo opere, vel crimine, quod tamen fieret, si liber esset ab onere horarum. Si autem sit suspensus à beneficio? R. beneficiatum, à iudice damnatum, ut per annum careat fructibus beneficii, pro eo spatio non teneri ad horas Canonicas; quia sic per ipsum non stat, quo minus percipiat fructus, quorum perceptioni alligatur obligatio horarum; Sanchez, & Henriquez apud Pellizarium in manual. l. 1. t. 5. c. 8. n. 190. quibus addit P. Bauny loc. cit. taliter suspensum removeri à susceptione ordinum; nec posse populo apprecari personam DEI, his verbis: *Dominus vobiscum*, quia hic est actus ordinis.

Quæstio est 4. an suspensus ab officio sit etiam suspensus à beneficio? Prima sententia affirmat; ita nonnulli apud P. Bauny §. *decimum*; 1. quia beneficium datur propter officium; 2. quia excommunicatio privat beneficiatum obventionibus diurnis, & annuis; ergo etiam suspensio; 3. quia ideo excommunicatio privat fructibus beneficii, quia privat omniusu officii Ecclesiastici; at idem facit suspensio: ergo. Secunda verò negat; quia officium, & beneficium sunt res distinctæ, & non necessariò connexæ; ergo privatio unius non est alterius 2. quia aliàs facta divisio suspensionis in suas species non esset legitima 3. quia verba suspensionis ab officio, *beneficium* non exprimunt; ita Fagundez in 5. præcept. decalog. c. 2. n. 36. Suarez t. 5. de de cens. D. 26. S. 3. n. 24. cum P. Bauny loc. cit. Et hi ad rationes in contrarium respondent, ad 1. negant universaliter antecedens; officium enim non semper est causa beneficii, sed precum in Choro pro fundatoribus beneficii. Ad 2. transmittunt antecedens: negant consequentiam; quia fructus non pendunt ex re, qua privat ejus suspensio. Ad 3. respondent, quod suspensio ab officio non privet actu recitandi horas, consequenter nec fructibus beneficii, qui dantur titulo horarum. Coeterum cum beneficium principaliter fundetur in functionibus officii, ubi has exercere prohibetur suspensus, probabilius videtur etiam à

Mmm 2 per-



perceptione fructuum suspensus, saltem pro rata temporis, nisi eas faciat per alium, ut dicemus num. seq.

2068 Difficultas est, an perpetuò suspensus ab officio, etiam sit suspensus à beneficio? affirmant Sayrus, Sanchez, Layman, & alii; negat P. Bauny, §. 11. & cum eo alii; quia perpetuitas non facit, ut officium & beneficium sit eadem res; quia tamen, si in perpetuum prohibetur exercere actus officii, non potest satisfacere obligationibus beneficii, censet Bauny sic suspensum debere recedere per simplicem cessionem; at Hurrado hic diffic. 4. n. 7. rectè docet, quòd satisfacere possit, beneficium per alium administrando, & sic fructus facere suos; quia hoc ei per suspensionem ab officio non est prohibitum.

2069 Quæstio est 5. An suspensio verbo tantum, & non scripto, privet officio & beneficio? ante respons. nota, talem prohibitionem non ferri licitè solo verbo, ex c. *Cum medicinalis*, 1. de sent. excom. in 6. nota 2. talem prohibitionem sub pœna suspensionis solo verbo factam, non esse propriè suspensionem; non enim potest, ut talis à Prælato volita præsumi, quia ferens præsumeretur velle peccare, quod non licet: not. 3. subditum, contra talem sui Prælati prohibitionem agentem, peccare quidem, non tamen ob id irregularem fore; quia sic non violat censuram, ut notat Suarez hic, D. 28. S. 2. n. 30. Portel. in dub. regul. V. *Suspensio* n. 2. & P. Bauny l. 8. q. 8. §. dico. 1. V. n. 2073.

2070 Sunt autem plures actiones, à quibus abstinere debet suspensus à beneficio: inter eas est. 1. ut docet Layman l. 1. p. 3. c. 1. t. 5. administratio beneficii in temporalibus, ut est locatio fructuum, renovatio contractuum super his &c. hinc alium constituere debet Oeconomum, qui hæc faciat: ingrens autem se illi administrationi prohibita, beneficio privatus est ipso jure c. *Cupientes*, §. *Cæterum*, de elect. in 6. ubi negligentes electiones factas intra octo dies (postquam commodè poterant) electis præsentare, quoad se à processu prosecutione totaliter excluduntur, ac, ut ait Pontifex, *ab omnibus beneficiis suis, qua in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum ex tunc inchoandum, volumus eo ipso fore suspensos, ad qua, si intra illud tempus se proprià temeritate, vel alio quaesito colore ingesserint, illis ipso ju.*

*re perpetuò sint privati.* Illud tamen nota, suspensum à beneficio, per hoc non prohiberi exercere actus suæ jurisdictionis non pendenti à beneficio, sed officio, ut ex dictis constat, & notat Bauny loc. cit. §. *dixi*: Si autem ea pendeat à beneficio, erit etiam suspensus à tali jurisdictione; nam accessorium naturam sui principalis sequi solet. De regul. Jur. in 6. regul. 43.

Inter easdem actiones suspensus à beneficio prohibitas, est *perceptio fructuum*, quod accipe de illis, qui respondent actui, à quo est suspensus; quia perceptio fructuum ex beneficio est donatio sub conditione talis, vel talis actus; sic P. Bauny cit. §. *nihilominus*; licet nec illos amitti ante Judicis sententiam, teneat Pellizarius tom. 1. manul. regul. t. 5. c. 8. n. 190. excipitur tamen beneficiatus, qui sine talibus fructibus non haberet congruam sustentationem; tunc enim etiam eos, quantum necesse est, retinere potest, sed cur. &c. simul, ut à suspensione liberetur; excipitur 2. iuxta Pellizarium loc. cit. qui suspensus est, & procurat absolutionem à suspensione, eho per ipsum non stet, eam dari, vel acquiri; hunc enim vult lucrari fructus perinde, ac si absolutus esset: fructus autem illos, quos ejusmodi suspensus non facit suos, cenentur Turrecremata, & Præpositus (scanti *Glossam* in Clement. 2. de vita & honestate Clericorum) si sint è quotidianis distributionibus, accrescere aliis præsentibus in divinis officiis; reliquos verò deberi utilitatibus Ecclesiæ.

Quæstio est 6. an suspensus à jurisdictione possit exercere actus ordinis? 8. quòd sic, de illis omnibus ordinis actibus, qui jurisdictionem non postulant actualem; Suarez D. 26. S. 4. n. 16. Nam pœna non debet extendi plus, quàm verba significant; sed suspensio à jurisdictione est pœna, & jurisdictio non significat ordinem, qui non includit jurisdictionem; ergo. Hinc etiam sequitur, suspensum ab ordine, posse omnes actus jurisdictionis exercere, qui actualem usum ordinis non requirunt. Et ideo Episcopo suspenso *ab ordine*, licitum est excommunicare, suspendere, &c. Colligitur ex c. *Transmissam*, 15. de electione, ubi dicitur: per confirmationem electionis, non concedi potestatem exercendi ea, quæ sunt ordinis, sed per consecrationem. Et ratio dicti est, quia illi actus non requirunt actualem usum ordinis; econtra non potest.



rest talis audire confessiones, celebrare, &c. propter rationem oppositam. Ex eodem fit, quod Prælatus à jurisdictione suspensus licitè celebret, vel audiat missam, canat in Choro, &c. hi enim actus non requirunt actualem jurisdictionem; e contra nequit audire confessiones, conferre ordines, &c. quia hi actus requirunt actualem jurisdictionem: Similiter suspensus à sacerdotio non potest licitè celebrare, nec extremam unctionem dare, &c. potest autem agere Diaconum, &c. hic enim actus non supponit, nec includit illum actum Sacerdotis; cum hæc poena plus extendi non debeat, quam verba significant.

2073 Quæstio est 7. an suspensi sint vitandi? R. non esse aliter vitandos, nisi, ut non inducantur ad actus sibi prohibitos; atque adeo tunc solum peccari communicando cum suspensis, quando inducuntur ad actus ipsis per suspensionem interdictos, vel ii ab ipso postulantur, qui ob suspensionem sunt nulli; in utroque enim casu talis communicans eum induceret ad peccatum. Excusatur autem quis, ut scilicet licitè ab eo petat fieri actus per suspensionem prohibitos, quos validè exercere potest, 1. si postulet necessitas; 2. si sponte suâ, & ultro se offerat; 3. si non sit suspensus denunciatus, ut alibi diximus de excommunicato tolerato; ita P. Bauny tr. 8. q. 8. §. *dubium*, n. 19. Cum autem suspensio perionam, non locum afficiat, ubique abstinendum est suspensio ab actibus per suspensionem vetitis; ubi tamen nota, si suspensio feratur absque scripto, ac tantum ore tenus, non habere vim suspensionis, nec quâ talem obligare, juxta Portell. in dub. regul. V. *Suspensio*, n. 9. & Rodriquez tom. 4. addition. c. 143. n. 11. ex quo patet ad n. 2069.

2074 Conveniunt autem in hoc Doctores, quod suspensus exercendo actus, à quibus per suspensionem prohibitus est, mortaliter peccet (nisi excuset materiâ levitas) fiatque irregularis, si solenniter exercent actum ordinis sacri, c. *Cum medicinalis*. 1. de sent. excom. in 6. hoc tamen de irregularitate accipe, quando suspensio est censura. Excusatur tamen à culpa, & irregularitate, si exercent actum etiam ordinis sacri, per suspensionem alioquin prohibitorium, non suâ sponte, sed ad instantiam fidelium; ita Hurtado hic diff. 5. secun-

dum Extravag. *adevitanda*, in qua ait esse sermonem de quacunque censura.

Quæstio est 8. an suspensus exercens, 2075 quamvis illicitè, actum per suspensionem interdictum, etiam agat invalidè? R. affirmativè, per se loquendo, si suspensus sit non toleratus, & valor actionis pendeat à jurisdictione Ecclesiastica, neque sit actus puri ordinis: secus, si sit toleratus. Ratio primi est, quia per suspensionem impeditur quis ab usu, quantum potest ab Ecclesia impedi, intellige de suspensio non tolerato; si autem illum Ecclesia tolerat in favorem aliorum fidelium, hoc ipso ostendit, quod relinquat illum per se sufficientem ad validè operandum, cum illi postulant, esto per accidens etiam fiat, quod ipse se ingerat. Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens etiam *validè ager*, cum scilicet adest titulus coloratus, & communis error in populo, tunc enim eum defectum supplet Ecclesia. Sic Hurtado cit. n. 14.

#### ARTICULUS IV.

*Ob quam causam ferri possit suspensio?*

Notandum, sermonem esse de suspensio- 2076 sione, quæ est poena, vel pura; vel medicinalis, cujus violatio inducit irregularitatem; nam contingit, aliquem interdum suspendi, etiam citra suam culpam, ut si quis citra suam culpam ordinetur, ante debitam ætatem, ut habetur c. *vel non est compos*, 14. de temporalib. ordinib. ubi dicitur, *puerum tredecim annorum ordinatum in Diaconum, ab hujus ordinis executione suspendi usque ad ætatem legitimam*. Verum hic non agimus de suspensione simili. Hinc quaeres 1. an suspensio possit ferri absque culpa suspensi? 2. propter quam culpam ferri possit? Ad 1. R. 1. quod suspensio personalis, seu particularis non possit immediatè, ac directè ferri validè in personam particularem, nisi propter personalem ejus culpam; quia sic est propria, & personalis poena. Sic Hurtado diff. 7.

R. 2. si suspensio feratur distributivè 2077 contra singulos directè de una communitate, requiri culpam propriam in singulis; sic enim æquivaler pluribus suspensionibus in particulari; sed hæc ex anteced. num. requirunt culpam propriam in quolibet; ergo & illa; sic Tamburin. l. 10. de censur. t. 2. c. 2. n. 3. Hurtado diff. 9. n. 25. §.

M m m 3 *Suspensio*



*Suspensione verò, contra Sylvestrum, & alios.*

2078 *¶ 3.* cum fertur suspensio in totam communitatem, ut communitas est, & unum corpus, suspendendo illam à functionibus illi competentibus, quæ unum corpus est, non requiri culpam in singulis, sed sufficere culpam communitatis, quæ talis; ita Hurtado, Tamburin. cit. & Suarez D. 28. contra nonnullos negantes apud Hurtado; quia sicut est contra rationem, ut quis absque propria culpa *in se*, & secundum se puniatur, ita puniri potest *in alio*, propter culpam commissam *in alio*; sed quando peccat communitas, quæ talis, in ea etiam censetur peccare pars, non peccato proprio, sed totius: ergo etiam sic puniri potest sine propria culpa; sic per accidens etiam punitur filius infamiâ Patris peccantis.

2079 Si dicas, in c. *Romana*, 5. de sentent. excom. in 6. prohibitum est *excommunicare totam communitatem*, ibi: *in Universitatem, vel Collegium proferrî excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset; cum nonnunquam contingeret innocuos hujusmodi sententiâ irretiri: sed in illos dumtaxat de Collegio, vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgentur.* Ergo etiam suspendere. *¶ Neg. conseq.* Nam ex allato textu solum sequitur, quod pro statuenda excommunicatione, quæ inter censuras est poena omnium gravissima, Innocentius IV. requirat culpam personalem; quod non rectè extenditur ad censuram illâ minorem. Cœterum etsi etiam integra communitas suspendi possit ob delictum Communitatis quæ talis; at confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsultâ Sede Apostolicâ, nullatenus posse, expressè definivit Clemens X. in Constitut. *Superna Magni*, §. *Porro*, 6. edita anno 1670. 11. Cal. Julii, solum publicata in Urbe.

2080 Ad 2. *¶ 1.* culpam, ob quam fertur suspensio, ut communiter solet, ex probabiliore sententia debere esse mortalem; ita P. Bauny tr. 8. q. 3. §. 4. *asseritio*; Hurtado diff. 7. & apud eundem Vasquez, Suarez, alique contra Cajetanum, Avilam & Navarrum, qui putant sufficere venialem. Ratio est, quia suspensio ex objecto suo est grave malum, quod non facile tollitur; sicut excommunicatio minor; hæc enim,

ut diximus, tolli potest à quolibet Sacerdote; licet interdum ferri possit, etiam ob culpam tantum venialem, sed suspensio solum levis aliqua v. g. ab uno tantum actu, ad breve tempus; sic enim non læderetur æquitas, foret enim tunc inter poenam & culpam æqualitas; ita P. Bauny loc. cit. §. 5. *asseritio*.

## ARTICULUS V.

*Quis possit suspendere, aut suspendi?*

AD 1. *¶ 2.* omnes illos habere potestatem ordinariam suspendendi, qui ex officio habent potestatem excommunicandi; qui enim potest majus, potest etiam minus contentum sub illo, nisi aliunde limitetur. Suspensio autem, utpote censura minus gravis, quàm excommunicatio, sub hac continetur. Qui autem possit ex officio ferre excommunicationem, diximus à n. 2030. quibus autem ab habente potestatem ordinariam hæc eadem committitur, in iisdem est potestas delegata secundum mensuram commissionis; de quibus V. dicta à n. 1819. quibus possit. Sequitur 1. quod Parochus in sua Ecclesia possit Clericis ex justa causâ prohibere divina, non tamen ferre suspensionem, cuius violatio (esto peccatum sit) inducat irregularitatem; nam talis irregularitas sequitur culpam, non quamlibet, sed violatæ censuræ; at talis suspensio censura non est, cum Parochus hanc potestatem non habeat, ut constat ex dictis. Hinc nota: si Episcopus in personam exemptam ferat suspensionem, hanc non esse propriè talem, imò irritam (defectu potestatis in talem) ejusque violationem non inducere irregularitatem; excipe casus, in quibus non valet exemptio, Bauny cit. §. *Secunda asseritio*.

Sequitur 2. Prælatum Ecclesiasticum non posse ferre suspensionem, dum est excommunicatus; secus de tolerato sentiunt aliqui, volentes, quod agat validè, sed non licitè. Sic P. Bauny §. *quarta asseritio*; 1. quia non caret jurisdictione, ut constat ex supradict. deinde quia usus jurisdictionis non est eis licitus ad communicandum cum fidelibus, nisi ipsi velint; quis autem credat in poena velle fidelem communicare cum Episcopo volente suspendere? Minus tamen probabilis videtur, quod nec validè ferat censuram; hæc enim in censurando suppo-



supponit inobedientiam, atque adeo obligationem parendi. Fideles autem non tenentur parere tali, esto toleratus sit, quia non tenentur cum eo communicare, esto possint; Sic Hurtado diff. 8. n. 21.

2083 Ad 2. R. non Clericum, non posse suspendi; talis enim non est capax effectuum suspensionis; 2. ne eos, qui non sunt baptizati; hi enim non subsunt ulli Superiori Ecclesiastico, uti nec Summus Pontifex, 3. nec mortuos, nisi quoad aliquod jus fructuum, quod illis etiam à morte competit: e contra verò suspendi posse Clericos vivos, Episcopis inferiores, ab eo, qui in eos habet jurisdictionem fori externi; tum enim nihil deest ex parte causarum.

## ARTICULUS VI.

Quibus modis impediatur, aut tollatur Suspendio?

2084 Quantum ad primum, idem est, ac querere, quæ causæ sint excusantes ab incurfu suspensionis, an ignorantia, an metus: &c. Sed de his habes resolutionem supr. à n. 1792. & seq. Quod attinet ad secundum, vel loquimur de suspensione, quæ est censura? & sic tolli debet per absolutionem secundum dicta à n. 1819. & seqq. vel est sermo de illa, quæ est puræ pœna? tum tollitur vel impletione termini præfixi, vel dispensatione; sic Hurtado diff. 11. Hinc not. 1. suspensionem propter contumaciam, & per modum censuræ latam à jure, sive generaliter, sive specialiter, nisi reservetur Papæ, auferri posse à suspensi Ordinario, ut diximus de excommunicatione à n. 2032. si verò reservata sit, eo modo, quo diximus n. 2033. Si denique lata sit ab homine, auferri non posse aliter, quàm dixerimus de tali excommunicatione à n. 2042. & sequentibus. Quamvis autem regulariter idem, qui suspensionem tulit, ab eadem absolvat, tamen sunt aliqui casus excepti, in quibus non potest.

2085 Primus est, cum suspensio lata est ab Episcopo in Clericos, vel Regulares, eò quòd admiserint hæreticum ad Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam; vel quòd ab eis receperint elemosynas, aut oblationes; hæc enim suspensio reservatur Papæ c. Excommunicamus 13. §. credentes, de hæreticis; Secundus, cum quis à proprio Episcopo est degradatus, ut notat P. Bauny hic q. 9. §. tempus secundum. Tertius, cum

quis beneficia indignis contulit, ac semel iterumque à Concilio Provinciali admonitus non desistens, suspensus est, c. grave nimis, 29. de præbendis.

Præter hæc quæres 1. an suspensio, in-2086 star censuræ à jure lata, si reservata non sit, auferri possit, sicut excommunicatio, etiam ab ordinario Confessario, vel proprio Parocho? R. probabiliter affirmari à Pellizario in Manual. tom. 2. tr. 7. c. 3. S. 1. n. 50. de quocunque Confessario ex ratione data n. 2042. Unde quando id restringit Hurtado solum ad suspensionem, quæ censura est, lata à jure, non autem si ab homine, esto tantum lata sit generaliter, exponendus est de foro externo; & censuræ solum latæ specialiter; nam cum hoc casu persona sit incognita ei, qui suspensionem generaliter tulit, tribunal ejus per ablationem censuræ per Ordinem ad forum externum non turbatur.

Quæres 2. à quo auferri possit suspen-2087 sio, quæ est pura pœna? R. non posse auferri, nisi à potente dispensare in eo jure, quando lata est à jure; & non nisi à Papa, quando lata est ab homine, seu Judice; quod verum est, etiam respectu inferioris Papæ; nam neque hic talem pœnam, etiam à se latam auferre potest; non enim aufertur absolutione, sed dispensatione, ad quam non est potestas in inferiore, etiam respectu pœnæ à se latæ. Absolutio verò censuræ homini bene disposito, eo ipso debita est, ex natura censuræ; Sic Hurtado. Episcopus tamen potest omnem suspensionem suorum subditorum proveniente ex delicto occulto, nec deductam ad forum contentiosum, quantumvis Papæ reservatam, auferre, ut constat ex Trident. Sess. 24. c. 6. de quo V. n. 2034.

Quæres 3. quam pœnam incurrat, qui 2088 violat suspensionem? R. 1. si quis suspensus sit ab ordine, & tamen exerceat actus talis ordinis, sive majoris, sive minoris, etsi non sit denunciatus, incurrere irregularitatem, ut patet ex c. Is, qui, de sent. excom. in 6. & c. 1. de sent. & rejudicata in 6. ubi tamen nota, quòd textus loquitur de exercitio solenni, ut bene observat Pellizarius in manual. tom. 2. tr. 7. c. 3. §. 1. n. 44. Secus tamen dicendum est, si exercet actum jurisdictionis, à qua suspensus est, modò non sit actus ordinis; quia nullibi reperitur talis pœna in jure contra ejusmodi exercitium; ita Pellizarius loc. cit. quod



quod intelligi vult universaliter Suarez ibid. n. 47.

2089 Quæres 4. an violans suspensionem, quæ est pura poena, incurrat irregularitatem? Negant aliqui Canonista, quia in c. *Is, qui*, de sent. excom. in 6. hæc regula constituitur: *quod is incurrat irregularitatem, qui divina celebrat, dum est censurâ ligatus*: hoc non fit in præsentibus; ergo. Pellizarius autem n. 48. & alii apud eundem affirmant, probantes, quia talis suspensio punitur irregularitate in c. 1. de sent. & re iudicata, in 6. Verùm in cit. c. *Is, qui*, hoc non dicitur; sic enim habet: *is, qui in Ecclesia sanguinis, aut feminis effusione polluta, vel qui præsentibus majori excommunicatione nodatis, scienter celebrare præsumit: licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cùm id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit.* Nam ex hoc textu solum habetur, irregularitatem propter exercitium alicujus actus non incurri, nisi hoc sit expressum in iure; at in iure non est expressum, indefinitè irregularitatem incurri propter exercitium alicujus actus prohibiti in puram poenam; exemplum autem, quod Pellizarius adducit ex cit. c. 1. non evincit, per violationem suspensionis, quæ est pura poena, irregularitatem indefinitè incurri; sed tantum in casu particulari, ibidem expresso, *si iudex Ecclesiasticus violet suspensionem inflictam ad unum annum*, si contra conscientiam & iustitiam, in gravamen partis alterius in iudicio quicquam fecerit per gratiam, vel fordes.

## ARTICULUS VII.

*De nonnullis Suspensionibus in particulari.*

2090 PRIMA est, cum quis Ordinem suscipit ab Episcopo hæretico, schismatico, vel excommunicato vitando, vel simoniacojuridicè declarato, c. *Tua* 1. de Schismat. Item, qui ab Episcopo, qui dignitati Episcopali renuntiavit, ordinem sacrum suscipit, manet suspensus ab Ordine sacro. c. *Requisivit*, 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui & c. Sic Hurtado diffic. 13. sed nec ista, nec ulla alia suspensio ex delicto incurritur ab ignorante, cum supponat peccatum. Secunda est, quod Ordinatus ab Episcopo alieno sine licentia proprii maneat suspensus ab Ordine sic recepto ad beneplacitum proprii Episcopi: Episcopus autem ordinans

per annum à collatione Ordinum. Sic Trident. Sess. 23. c. 8. de reform. ibi: *Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiamsi status temporibus, permittatur: nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum; & ordinatus, a susceptorum Ordinum executione, quàm diu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Excipitur nisi sic ordinatus fuerit familiaris illius Episcopi ordinantis, & per triennium fuerit cum illo commoratus, ut patet ex Trident. Sess. cit. c. 9. ibi: *Episcopus familiarem suum, non subditum, ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacunque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat*, consuetudine quacunque etiam immemorabili, in contrarium non obstante. Si autem ille Episcopus alienus alium sine proprii Episcopi licentia ordinans fuerit merè titularis, manet suspensus à Pontificalibus per annum; Trident. Sess. 14. c. 2. ibi: *Nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius diocesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis relectur, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quocunque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, continue commensalitatatis sue, absque sui proprii Prælati, expresso consensu, aut literis dimissorias ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam tonsuram promoveri, seu ordinare valeat: contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promoti ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælati visum fuerit, ipso jure sint suspensi.*

Præter hæc not. 1. eum, qui ante an. 2091 num completum, post vacationem Sedis, impetratis à Capitulo reverendis, ordinem suscipit, manere suspensum ad beneplacitum futuri Episcopi, nisi ad id fuerit arctatus ratione beneficii suscepti, vel suscipiendi; Capitulum verò manet interdictum. Trident. Sess. 6. c. 5. de Reformat. ibi: *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius diocesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personis eidem Ordinario subiectis tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinari ab*



ab executione ordinum sint ipso jure suspensi. Ubi tamen nota, ea verba: *nisi de Ordinarium expressa licentia, & in personis eidem Ordinario subjectis tantum*, intelligenda, nisi alieni habeant dimissorias generales à suis Ordinariis. Tunc enim & hos cum Ordinarii licentia poterit ordinare; sic Barbosa ibid. n. 4. dicens, sic esse decusum, sicut etiam quoad subditos proprios.

2092 Not. 2. Episcopum, qui in aliena dioecesi absque licentia expressa proprii Ordinarii ordinat, manere absolutè suspensum à Pontificalibus, & ordinatum ab ordine suscepto; Trid. cit. Sess. 6. c. 5. de Reformatione. Volebant tamen aliqui Doctores in quadam contingentia facti ab hoc videri probabiliter exceptum Episcopum, qui aliquem Religiosum Societatis Jesu sacris initiaret in aliena dioecesi, etiam Ordinarii licentiâ non requisitâ; quia per privilegium Gregorii XIII. quod habetur apud Pellizarium in Manual. regul. tom. 2. tr. 8. c. 2. n. 168. Religiosi Societatis de licentia suorum Superiorum possunt ordinari à quocunque Antistite, seu Episcopo, absque eo, quod ab ipsis requiratur ullam functionem in ipsis ordinibus, aut observationem interstitiorum ad illos suscipiendos, aut inquirant de peritia cantus, ceremoniarum, de idoneitate, vel NB. proprii Ordinarii licentia &c. quod tamen facere deberent, si alioquin eam suspensionem incurrerent. Eum autem, qui scienter, vel cum affectata ignorantia ante legitimam aetatem, vel absque dimissoriis, vel extra tempora ordinatus est, manere suspensum ab ordine sic suscepto; posse tamen absolvi ab Episcopo, ut notat Hurtado n. 36. excipe nisi factum sit cum simonia, tunc enim reservatur Papæ. V. n. 2495.

2093 Not. 3. qui aliquem ordinat, vel præsentat ad ordinem, accepta prius promissione ab ordinato, quod non petet ab eo alimenta, incurrere suspensionem per triennium: ordinantem à collatione, præsentatorem ab executione ordinum, & ordinatum ab ordine sic suscepto, dum à Papa dispensetur, c. penult. de Simonia; in c. autem Per tuas, 37. de Simonia: ordinatus ad præsentationem cujusdam, cui promissit, se non petiturum alimenta, interdicitur ad Superiores ordines ascendere, & in susceptis ministrare, etiam si id ignoret, esse illicitum; sed si ignoraverit hanc poenam, eam in foro conscientiae non in-

Tom. V.

currit; unde illud videtur dictum pro foro tantum externo, ubi præsumitur scientia, ita Suarez loc. cit. apud Hurtado diff. 13. n. 37.

Not. 4. Ordinatium titulo ficto, v. g. 2094 ficto patrimonio, beneficio, vel pensione, graviter peccare, non tamen incurrere suspensionem; quia id nullo jure exprimitur. Esto enim hoc sit peccatum in c. Neminem, & in c. Sancterum, 70. dist. 70. & tales ordinationes eorum, qui sine titulo promouentur, antiqui canones in injuriam Ordinantium irritas voluerint, & inanes; hoc tamen revocatur per c. Cum secundum 16. de præbendis. Hinc Tridentinum Sess. 21. c. 2. de Reformatione. remittens se ad poenam antiquorum Canonum (si quis sine titulo vero ordinaretur) non respicit illos Canones, sed alios, ubi agitur de ordinariis simoniacè, scilicet cum pactis supra positis, quæ Ordinationes saltem æqualiter sunt sine vero titulo, V. Barbosa in cit. loc. Trid. n. 67.

Not. 5. Ordinatium ab alieno Episcopo 2095 do per literas dimissorias, falsâ relatione obtentas, incurrere suspensionem, quam ordinatus ab alieno Episcopo, sine licentia proprii, aut sine hujus dimissoriis; sic enim ordinatur sine veris dimissoriis: cum autem, qui ordinat simoniacè, manere suspensum à collatione omnium ordinum, à collatione primæ tonsuræ, à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ; Ordinatium verò ab Ordinibus sic susceptis, absque omni spe ascendendi ad altiores Ordines; & hæc poena secluso, & ablato omni privilegio, reservantur Papæ; ita Hurtado cit. n. 39.

Not. 6. ordinatum per saltum esse 2096 suspensum ab ordine sic suscepto; in hoc tamen posse dispensare Episcopum, si sic promotus non ministravit; si verò seculus, incurrere irregularitatem, per violationem suspensionis, in qua solus Papa potest dispensare; sic Hurtado, §. 6. de quo jam egimus lib. 1.

Not. 7. qui post contractum matrimonium, licet non consummatum, suscipit ordines sacros aliter, quàm in jure concedatur, manere suspensum ab ordine sic suscepto, & aliis suscipiendis, & promotione ad beneficia; ita Hurtado cit. n. 40. excommunicatum autem ob percussorem Clerici suscipientem ordines, manere suspensum à susceptis; & hanc absolvi à solo Papa, nisi sit Religiosus, qui id aliquo modo

Nnn

modo



modo ignoranter fecit, quem tunc ejus Prælati absolvit *c. cum illorum*, 32. de sent. excom.

2098 Not. 8. Sacerdotem, qui absque Parochi licentia, cujusvis privilegii, aut consuetudinis intuitu, sponfos benedicit, aut matrimonio conjungit, manere suspensum, donec ab Episcopo Parochi absolvatur; sic Trident. Sess. 24. c. 1. de reformat. matrimon. ita Suarez D. 11. S. 1. qui putat hanc suspensionem, esse tantum ab officio Sacerdotali, sed alii dicunt esse totalem.

2099 Not. 9. Capitula, & Conventus aliquid recipientes, aut petentes ob receptionem alicujus in Religionem, aut etiam post illam, esse suspensos in Extravag. *Sanè*, de Simonia; & quidem ab omni actu, seu officio Capitulari requirente jurisdictionem, & administrationem Ecclesiasticam; sic Pellizarius tom. 2. t. 7. c. 3. n. 88. quod intellige de receptione alicujus in Religionem, completâ, scilicet ad habitum simul & professionem. Ad hoc autem sufficit, quod directè vel indirectè aliquid petatur sponte pro ingressu Religionis, scilicet per professionem.

2100 Not. 10. Quod Regulares mendicantes, qui ad professionem admittunt, ante expletum probationis annum, incurrant suspensionem à recipiendis amplius Religiosis in eodem Ordine, quod verum est, licet per Trident. Sess. 25. c. 15. de Regular. professio tunc nulla sit; quia in eo casu non spectatur valor, sed factum; assertio autem probatur ex *c. non solum*, de regular. in 6. ibi: quod si fortè contra hanc nostram prohibitionem, quemquam recipere præsumpseritis, decernimus eum (qui taliter receptus fuerit) *nullatenus vestro esse Ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pena subjiciendos, qua fratribus ipsius Ordinis pro culpis insigni gravioribus consuevit.* Item absque alia declaratione, suspensionem à divinis latam à Pio V. incurri à Regularibus admittentibus foeminas intra Monasterium, absque debita licentia, ut notat Pellizarius loc. cit. n. 115.

2101 Not. 11. à Regularibus exercentibus actum Sodomiticum incurri suspensionem ab officio, beneficio & dignitate Ecclesiastica, imò etiam à privilegio Clericali, seu Canonis; intellige. 1. Si actus Sodomiti-

cus sit consummatus, & publicus jure, vel facto. 2. Si hoc frequenter faciant, id enim sonat *exercere*. 3. Non nisi post sententiam Judicis; & verosimilius concedi, Clericum nullum habentem beneficium, si committat crimen, pro quo lata sit ipso jure absoluta suspensio à beneficio, impediri, ne acquirere possit beneficium, ut tenet Pellizarius in manual. regul. tom. 2. tr. 7. c. 3. S. 1. n. 33. qui enim prohibitus est ab actu, etiam prohibitus est, ut ei conferatur principium talis actus, ut colligitur ex *c. fin.* de Clerico excommun. ministr. quod sic accipe, ut non acquirat, nisi *irritabiliter*.

Not. 12. Cum in jure fertur suspensio *ad unum mensem*, non exprimendo determinatum, probabiliter sumi posse *mensem* pro 28. diebus; Februarii enim plures non habet, qui tamen est verè ac proprie *mensis*; quod maximè valet hic, quia sumus in materia poenali, imò id verum est, qui suspensus esset per *Februarium*, et hoc anno haberet 29. dies; hoc tamen dici non potest, si quis suspensus esset per quatuor annos, tunc enim Februarius saltem semel sumi debet pro 29. diebus. Ita Pellizarius loc. cit. n. 4. Tempus autem suspensionis non interruptitur ejus violatione. Eius enim effectus non est realis privatio actionum, sed obligatio ad abstinendum ab illis; hæc autem manet etiam stante violatione talis obligationis; ergo.

Not. 13. Regulares absolvi possunt à suspensionibus per proprios Prælatos locales, & Confessarios Ordinis, ex privilegio bullato Pauli III. concessio Regularibus Societatis JESU, quod extendit Layman etiam ad suspensionem, quæ est pura poena: item ex concessione bullata Pii V. facta Dominicanis, & relata à Rodriquez in Bullar. Bullâ 13. Prælatos Regulares respectu suorum subditorum habere omnem illam auctoritatem absolvendi & dispensandi in foro conscientia, quam habent Episcopi erga suos subditos. Ubi advertit Layman, privilegium in Tridentino Sess. 24. c. 6. de reformat. concessum Episcopis ad absolvendum ab omnibus irregularitatibus, ac suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, extendi ad quamcunque suspensionem etiam Papæ reservatam, sive lata sit ut censura, sive ut poena, sive ad tempus, sive in perpetuum; ex hoc autem inferitur ergo idem poterunt etiam respectu suorum Prælati regulares.



PARS IV.

De interdicto.

Interdictum non minus, quam suspensio, infligitur quandoque ut poena medicinalis, & sic erit censura; quandoque vero solum in vindictam delicti praeteriti, & hac ratione est pura poena: Regula vero dignoscendi, quando fertur, ut pura poena, quando ut censura, est ferè eadem, quam dedimus de suspensione supr. à n. 2050. Quae interdicta, tanquam poena medicinali communia sunt cum aliis censuris, quae talibus, petenda erunt ex dictis: nunc ea tantum, quae ipsi propria sunt.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit interdictum?

2104 AD 1. R. quod sit censura Ecclesiastica, Christianum hominem privans divinis officiis, Sacramentorum usu, & sepultura sacra, prout haec ad divinum cultum, hominemque tendunt; ita P. Stephanus Bauny tr. 9. hic q. 1. ubi not. 1. usum divinatorum considerari posse 1. ut est actus ex potestate, quem habet ipsum exercens, & sic eo privat suspensio, non autem interdictum. Hinc suspensio privat usu sed solum activo, interdictum autem etiam passivo, ut notat Pellizarius in Manual. regul. tr. 7. c. 4. S. 1. deinde considerari posse, ut est quaedam communicatio cum fidelibus, & sic eo privat excommunicatio 3. in quantum per communem usum talium rerum cultus DEI promovetur, & sic eo privat interdictum, ut notat Bauny loc. cit. Ex quo vides, quomodo haec tres censurae in particulari differant, quamvis plures sint differentiae, quae innotescunt ex dicendis, tum hic in seq. tum. n. 2300.

2105 Ad 2. R. interdictum esse triplex; aliud enim est *personale*, quod immediate afficit personam, ei prohibendo usum divinatorum in omni loco; aliud *locale*, quod immediate afficit locum, & personas mediate, scilicet ratione loci, in quo ipsis prohibetur celebrare divina; aliud ex utroque *mixtum*, quo indivisibiliter & locus & persona interdicitur; ita Gaspar Hurtado tract. de interdicto, diffic. 2.

2106 Not. autem, tam personale, quam locale interdictum, iterum dupliciter dividi, scilicet in *generale*, & *speciale*. Interdictum

Tom. V.

*personale generale* est, quo interdicitur una comunitas hominum, quae constituit unum corpus, ut populus, exercitus, imò & collegium in populo contentum. Hoc afficiuntur omnes personae talis communitatis, non secundum se, sed quasi membra ejus, & quamdiu sunt membra. Hinc si designat aliquis esse membrum talis communitatis, interdicta, desinit etiam esse interdictus, nisi persona culpabilis sit, nam tum etiam afficitur interdicto speciali; sic Hurtado loc. cit. n. 3. Si autem petas, an interdictum generale personale privet personas talis communitatis actionibus cuilibet propriis, vel tantum propriis communitati, sicut dum suspenditur tota civitas? responderet Hurtado nullam actionem, quae privat interdictum, esse actionem propriam communitati, quae tali; omnes enim sunt actiones personarum singularium, hinc affirmandum censet de primis actionibus; Sed dici posset, alias esse actiones, quas exercent communi nomine; alias, quas non communi, sed suo privato: id quod colligitur ex c. *si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. ibi: cum divino rum auditio, & Sacramentorum perceptio populo, ut *universis*, non competant. Interdictum autem *personale speciale* est, quando interdicitur una, vel plures personae secundum se; sed non ut faciunt unam communitatem; Sic P. Bauny cit. q. 1. in fine.

Interdictum *locale generale* est, cum in-<sup>2107</sup>terdicitur locus aliquis complectens sub se alia loca particularia, idque cum aliqua latitudine, ut Regnum, Provincia, civitas, Parochia, sumpta pro districtu toto Parochiali. Interdictum autem *locale speciale* est, quo interdicitur locus specialis v. g. haec Ecclesia, vel haec Ecclesia, scilicet in suppositione distributiva, quae singulares sunt, ut colligitur ex c. *Cum in partibus*, 17. de verborum significatione. Nam cum in partibus saepe contrigisset, diversa loca interdicto supponi, & dubitaretur, an generale, vel particulare dici debeat? & illi, qui ab Ecclesia Romana decorari privilegio meruerunt, videlicet, ut cum generale interdictum terrae fuerit, liceat eis januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce divina officia celebrare: interdicto particulari se asserant non arctari, *dicentes interdictum generale*, duntaxat cum regnum, vel saltem provincia tota subicitur interdicto: ex quo fiebat, quod & iustitia saepe deperiret,

Nnn 2

& Præ-



& Prælatorum sententiæ contemnerentur: Innocentius III. dubio satisfactorius, rescriptit: cum in privilegiis de regno, vel provincia nihil expressè dicatur, nomine *terre* non solum regnum, vel provinciam intelligi volumus, verum etiam villam & castellum, ut in his locum habeat, quod de generali dicitur interdicto. Præter has divisiones aliæ sunt communes; aliud enim est *totale*, quod habet omnes effectus, aliud *speciale*; aliud à *jure*, aliud *ab homine*; aliud per modum censuræ; aliud per modum puræ pœnæ. Hæc autem omnia ex dictis constant.

2108 Quæstio ulterior est, an posito interdicto locali, sive generali, sive speciali, censetur etiam positum personale? 2. an locale, posito personali? Ad utramque negativè; excipe in primo, nisi sit persona, ob cujus culpam positum est interdictum locale, c. *si sententia*, 16. de sent. ex. com. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: si sententia interdicti proferatur *in Clerum*, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) *interdictus populus*, nec etiam è converso. Unde uno interdicto ipsorum, alius licitè admittitur ad divina. Cœterum, cum propter delictum domini, vel rectoris est *civitas interdicta*: cives ejusdem (qui culpabiles non existunt, dummodo & ipsi propter dominum, vel rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsam licitè interesse divinis. Cum verò *alicujus terra populus* interdicto nodatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cum divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo ut universis non competant) non debent alicubi (casibus expressis à jure duntaxat exceptis) adire divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta.

2109 Quamvis autem in quæst. an interdicto generaliter populo, censetur etiam eo ipso interdictus locus populi, v. g. Civitas, affirmativam teneat Covarruvias; negativam probabilius defendit Navarrus c. 27. n. 167. illius enim nulla ratio est, cum sint interdicta inconnexa. Hinc concedo, Clericos, alios ab interdictis, posse in templo talis urbis facere divina, sed januis clausis, ne scilicet intersint, qui interdicti sunt.

2110 Ne autem, cum in jure occurrit, aut contingit mentio *interdicti*, exinde nascatur confusio, aut error (cum interdictum aliter, & aliter acceptum pariat diversos

juris effectus) not. Interdictum apud Latinos, idem valere, ac maximè prohibitum, sicut interdicere, à quo derivatur, maximè prohibere. Apud Legistas, ff. de interdicto, & Institut. eod. tit. sumitur amplissimè pro solemniter dicto Prætoris aliquod prohibentis, vel præcipientis inter duos, reum nempe & actorem, & est interdictum, quasi inter duos dictum, definitur, que à Gloss. ad c. *Pastoralis*, de caus. possess. in hunc modum: *Erat olim quædam formata, & solemniter concessio verborum, quibus Prætor aliquid fieri jubebat, vel prohibebat.* Sic acceptum dividitur in tria, scilicet *Prohibitivum*, quo Prætor vetat aliquid fieri: *Restitutorium*, quo Prætor aliquid restitui jubet: & *Exhibitorium*, quo agitur ad aliquid exhibendum. Accedit *Fraudatorium*, quo revocantur alienata in fraudem creditorum: Strictè verò accipitur pro solo *Prohibitivo*: quia propinquius deducitur ab interdicendo, prohibendo.

Hinc etiam olim erant quædam leges, quæ fuere jussu Prætorum, & vocantur *interdicta*, quæ in individuo capiunt denominationem, vel ab authore, vel à materia, in qua versantur. Nam *interdicere*, quamvis accipiat pro *desicere*, L. *interdit*, ff. de cond. & demonstr. tamen propriè est *denunciare* & *prohibere*, ut Institut. de interdict. §. 1. dicitur igitur *interdictum* ab interdicendo, hoc est, interim dicendo. Nam quoties Prætor non in perpetuum, sed ad tempus, donec pleniore judicio de jure peritiori quæratur, aliquid edicit, propriè est interdictum. Et quidem olim nihil aliud erat, quam quædam formata, & solemniter concessio verborum, quibus Prætor aliquid fieri jubebat, quod tunc maximè faciebat, cum de possessione, vel quasi possessione inter aliquos contendeatur, Institut. de interdict. in princ. Differebat olim interdictum ab actione; quia actio erat inducta de jure civili, & generaliter sine ulla solemnitate verborum in singulas personas; at interdictum de jure prætorio; & quoties erant homines volentes proponere, tot pro singulis fiebant verborum solemnitates & conceptiones. Hodie tamen inter actiones, & interdicta non est discrimen. Institut. eod. tit. §. *fin.*

Interdictum Salvianum, quod ab A. U. 2113 thore nomen accepit, competit Domino fundi adversus colonum in sua domo habitantem, & ejus hæredes, de rebus coloni



tacite pignoratis pro mercedibus, quas colonus in fundum intulit, L. 1. ff. eod. tit. ubi textus hæc habet: Si colonus ancillam in fundum pignoris nomine induxerit, & eam vendiderit, quod apud emptorem ex ea natum est, ejus apprehendendi gratia utile interdictum reddi oportet. Pro exemplo de interdictis accipientibus nomen à materia, celeberrimum est interdictum de novi operis nunciacione, quo prohibetur, ne ædificium fiat in aliquo loco, vel ne caprum continuetur, L. Prætor. ff. eod. tit. Quando locum habeat, & quas habeat partes, latè exponit Molina tom. 3. D. 706. Est interdictum, ne quid in loco sacro fiat: ne quid fiat in loco publico, vel itinere: ne quid fiat in mari, aut flumine publico: Est *interdictum, unde vi: quod vi, aut clam: quorum honorum: quorum legatorum: de ripa munienda: de rivis: de sepulchro ædificando: de superficiebus: de tabulis exhibendis: de vi, & vi armata, de aqua quotidiana, & estiva: de aqua pluviali arcenda:* & multa alia quæ dilucidè explicat Alexander Scot. in suo diction. V. *Interdictum.*

2113 Coeterùm apud Canonistas, & Theologos sumitur dupliciter (ut notat Sayrus de cens. lib. 5. c. 1. n. 5.) 1. pro prohibitione Judicis Ecclesiastici, seu juris canonici, ut habetur c. *Minor*, 17. q. 4. c. *significasti*, de offic. Archid. & c. *Cum illorum*, de sent. excom. Et hoc modo non differt hæc acceptio à secunda Legislarum acceptione, nisi quòd ibi sermo sit de prohibitione Prætoris, hic verò de prohibitione Ecclesiæ, sive per judicem, sive per jus Ecclesiasticum 2. sumitur pro sententia juris, vel Prælati Ecclesiastici prohibentis alicui divina officia, sacramenta, vel sepulturam Ecclesiasticam in poenam delicti, vel contumaciæ, sive illius, qui interdicitur, sive alicujus alterius.

2114 Hinc *interdictum* in acceptione canonica, & Theologica, prout accipitur hoc titulo, rectè definitur à Suarez de cens. D. 32. l. 1. n. 4. in hunc modum: *est censura Ecclesiastica, prohibens usum quarundam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenus talis est.* Ubi intelligitur, rectè definiti interdictum acceptum in genere, utpote abstrahens à loco, & personis, interdicto locali, & personali, item ab usu activo, & passivo: si quidem in particulari, vel utroque, vel altero ex his modis fertur. Particula (*ut fidelibus communem*) distinguit interdictum à suspen-

sione, quæ privat determinato usu potestatis Ecclesiasticæ, ideoque in solos Clericos ferri potest. Particula (*quatenus talis est*) distinguit interdictum ab excommunicatione, nam hæc privat quidem usu rei sacræ, non tamen, ut est usus rei sacræ, sed ut est communicatio cum fidelibus. Ponitur (*quarundam rerum divinarum*) quia non semper privat omnibus, sed illis, quæ in jure exprimuntur.

## ARTICULUS II.

*Qua persona comprehendantur sub interdicto personali?*

2115 **Q**uestio est de interdicto generali personali? quo posito: eo comprehendendi omnes omnino personas talis communitatis, etiam inculpabiles, habetur ex c. *si sententia*, 16. de sent. excommunicationis in 6. sed de discrimine, quòd hæc veniant sub illo interdicto solum, ut, & quamdiu sunt membra illius communitatis: sic enim absque ulla etiam relaxatione, si desinant esse ejus communitatis, desinunt esse interdictæ; culpabiles verò, seu nocentes sunt etiam interdictæ specialiter, ubi præterea not. quòd sub interdicto generali personali v. g. *totius populi*, veniant etiam absentes localiter, habitantes in suburbis, & ædificiis continentibus, habentes domicilium in eo populo, esto etiam alibi habeant; item pueri ratione utentes (& amentes, ac infantes quoad privationem sepulture sacræ) nam sunt vera membra illius communitatis, seu populi. Sic Hurtado diffic. 4.

Præter hæc nota, nomine *populi interdicti* non venire Clericos, aut Religiosos; nec nomine *Cleri interdicti*, venire *populum*; sunt enim distinctæ communitates, patet ex cit. c. *si sententia*: deinde nomine *universitatis interdictæ* venire etiam Clericos, & Religiosos, qui sunt ejus membra; 3. nomine *populi interdicti*, non venire illos, qui studiorum, vel negotiorum causâ morantur etiam diutius in loco illius populi; non enim sunt membra talis communitatis, 4. nomine *Cleri interdicti* post Trident. Sess. 23. c. 6. de Reform. non venire illos, qui gaudent privilegio fori, esto gaudeant privilegio canonis; sic Hurtado loc. cit.

Sed quæres 1. an nomine *monasterii* *Regularium interdicti* veniant etiam Novitii? 2. Religiosi peregrini? 3. an si quis ex



eo monasterio abeat, adhuc maneat interdictus? 4. an is, qui in illud prius jam interdictum primò advenit, & fit membrum? 5. an etiam veniant eo nomine absentes Religiosi? 6. an Regulares subiaceant interdictis generalibus? 7. an Moniales, si interdictum personale generaliter feratur in Religiosos? 8. an Regulares transeuntes per loca interdicta, teneantur ibi servare interdictum, quam diu ibi commorantur? 9. an unus ex populo personaliter, generaliter interdicto, desinat esse interdictus, si fiat Religiosus?

2118 Ad 1. R. affirmative; quia Novitii sunt pars, & membra talis communitatis, & Monasterii; ad 2. R. negativè, propter rationem contrariam; ad 3. R. quòd non, quia tunc desinit illius loci, & Monasterii, seu Communitatis esse membrum; excipitur nisi talis sit ex personis, quæ ratione delicti sui causa sunt hujus censuræ; Sic Pellizarius sæpe cit. in Manual. Regul. tom. 2. tr. 7. c. 4. sect. 1. Ad 4. affirmandum est; quia tali casu evadit pars dictæ Communitatis; quod etiam dicendum ad 5. quia talis absentia non facit absentem non esse de tali Communitate. Ad 6. dicendum negativè de interdictis generaliter latis in Populum, vel in Clerum, ratio est ex dict. sup. Ad 7. affirmat Pellizarius n. 16. quia masculinum comprehendit fœmininum, ubi non limitatur; verum hoc in pœnalibus non procedit. Ad 8. R. affirmative, si interdictum sit generale locale; secus, si generale personale: Ad 9. autem affirmat Sayrus de illo, postquam fecit professionem; Pellizarius à n. 18. affirmat, etsi tantum sit Novitius, quia sic jam desinit esse de illo populo; tum quia tunc eximitur à potestate Judicis sæcularis, imò etiam ab Ordinarii jurisdictione; tum quia tales in favorabilibus generaliter veniunt nomine Religiosi, teste Suarez l. 4. de Religiosis tr. 10. §. 9. c. 1. n. 28.

2119 Quæres 2. utrum ingressus Ecclesiæ prohibitus sit ex vi interdicti, & an hujusmodi prohibitio constituat aliam interdicti speciem? Quæstio solum habet locum in interdicto personali, ita tamen, ut non sit effectus communis omnibus interdictis personalibus privare ingressu Ecclesiæ. Est igitur censura hæc peculiare genus interdicti spectans ad personalia, ab aliis personalibus differens, quòd partiale sit, & fortè addat aliquem effectum, quem non habent

reliqua personalia. Unde homini sic interdicto extra Ecclesiam existenti licitum non est audire divina, quæ intra illam fiunt. Nam ideo ingressus Ecclesiæ illi interdictus, ut divinorum, quæ in ea celebrantur, particeps non fiat.

## ARTICULUS III.

*Quæ loca comprehendantur sub interdicto locali?*

R Esp. Cùm generaliter interdicatur ipse locus v. g. oppidum, vel civitas, comprehendi etiam suburbia, domosque continentes, seu contiguas c. *Sic civitas*, 17. de sent. excom. in 6. ubi idem Bonifacius VIII. ait: *si civitas, castrum, aut villa*, subiciantur Ecclesiastico interdicto: *illorum suburbia, & continentia aedificia, eo ipso intelligi volumus interdicta*. Nam licet prædicta videantur aliàs murorum ambitu terminari: hoc tamen casu, ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum subsidiis, vel continentibus aedificiis licitè celebrari, ut prius) expedit interpretationem fieri latiore, Ratione quoque simili, si sit Ecclesia interdicto supposita, vel subiecta, nec in capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguus poterit sepeliri. Secus si ei contigua non existant. Ubi nota, per verbum *continentia* intelligi etiam domos & aedificia, quæ non procul ab urbe videntur, nullo inter se ordine, vel contiguitate disposita, ut exponit P. Bauny t. 9. q. 4. & ly non procul explicari ab Hurtado diff. 5. quando est major conjunctio illorum ad civitatem, quàm unius miliarii, qui ibidem addit, id verum esse de aedificiis continentibus, esto non sint subiecta Domino temporali oppidi, ejus culpà interdicti; verum de locis tantum distantibus non videtur procedere, prout colligi potest ex postremis textus verbis, ubi explicat, quid intelligatur, quando interdicta est Ecclesia.

Quæres præterea, an, quando oppidum generaliter interdictum est, etiam interdicanter Ecclesiæ Religiosorum exemptæ à jurisdictione Episcopi? 2. an etiam tunc, quando omnes oppidi Ecclesiæ specialiter interdicto ab Ordinario interdicanter? 3. An cùm interdicitur aliqua Ecclesia, eo ipso etiam interdicitur capella ipsi contigua, & cœmeterium ipsi contiguum? Ad 1. affirmative responderi Hurtado cit. diff. 5. ex



ex Trid. Sess. 25. c. 12. de reformat. ibi: *Censuræ & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur.* Verùm aliud est, quòd interdicta Episcoporum, etiam Regulares exempti vi hujus textus debeant publicare in suis Ecclesiis, ac in eisdem observare, *ne ibi fiant, quæ per tale interdictum inhibita sunt*; aliud, quòd ipse illorum Ecclesiæ sint interdicta; primum rectè deducitur ex cit. textu; non secundum. Hinc ad 2. 12. negativè, quia Episcopus in eas non habet jurisdictionem, ad 3. 12. affirmativè, cum expressè habetur in cit. c. *Si civitas.*

2122 Not. Ulterius, interdictis generaliter terris alicujus Domini; intelligi etiam terras ipsi datas in feudum, in dotem uxoris, in usumfructum, & omnes illas, in quas habet jurisdictionem; non autem eas, quas habet in pignus (hæ enim non sunt ipsius) nec eas, in quas habet solum dominium directum (quales sunt, quas aliis dedit in feudum) sic enim non puniretur ipse; nec eas, quas acquirit post latum interdictum; quia sententia non extenditur ad futura, nec ista sunt pars terræ prius interdicta; Sic Hurtado cit. n. 15.

#### ARTICULUS IV.

*Quos effectus habeat interdictum?*

2123 **S**upponendum interdictum ab ipso Latore interdicti limitari posse quoad effectus; hi enim non sunt necessariò connexti; quo posito: 1. per interdictum totale, seu absolutè latum, cautari tres effectus, seu triplicem obligationem abstinenti 1. à celebratione, seu publica dictione divinorum officiorum, publicaque eorum auditione; 2. ab usu Sacramentorum *aliquorum*, activo & passivo; 3. à sepultura Ecclesiastica. Constat ex c. *si sententia*, 6. c. *si civitas*, 17. c. *Alma Mater*, 24. de sent. excom. in 6. & c. *Responsio*, 43. de sent. excom. c. *quod in re*, 11. de poenit. & remissionibus. His addit Bauny cit. q. 13. quartum, scilicet irregularitatem, quam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ex c. *Is, qui*. de sent. excom.

S. I.

*Quid veniat per officia divina in interdicto prohibita?*

2124 **R**espondet Bauny venire 1. Missæ Sacrificium 2. recitationem publicam,

& solemnem precum Ecclesiasticarum 3. confectionem Sacramentorum, & Sacramentalium, qualis est benedictio aquæ lustralis, ac ejus aspersio solennis. Dicitur autem fieri *publice, ac solemniter*, quod fit *nomine Ecclesiæ cum ritu, & ceremoniis*, quæ ad Ecclesiasticos propriè pertinent. Si autem quæras, an his omnibus privetur is, qui absolutè interdictus est? 12. affirmativè; patet ex c. *Alma Mater*, de sent. excom. in 6. ubi dicitur, *dudum statutum fuisse, ut tali casu (certis casibus, & Sacramentis exceptis) nulla divina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta*; quæ verò excepta sint, habentur num. seq.

4 Not. tamen, circa hunc effectum (sci. licet privationem divinorum) jure antiquo, pro interdicto locali generali quædam fuisse concessa. Primò enim servatis certis conditionibus, statim referendis, Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus concedebatur, semel in septimana celebrare Missam pro conficienda Eucharistia, quæ pro infirmis asservari consuevit; in Ecclesiis etiam specialiter interdicta licebat Ministris Ecclesiæ, saltem semel in hebdomada, aut ex necessitate, pluries celebrare, causâ conficiendi Corpus Christi pro infirmis, c. *Permittimus*, h. t. 57. ibi: *Permittimus Ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis*, Missarum solennia celebrare causâ conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non negatur. 2. Concedebatur Clericis, legere horas canonicas sine cantu, idque non pluribus, quàm tribus simul; 3. Ex Sacramentis concedebatur solum *poenitentia, & viaticum morituris*. c. *quod in re*, 11. de poenit. & remissi. 4. Ut Clerici non specialiter interdicti, qui interdictum generale servarunt, possent in cœmeterio sepeliri. Ubi Innocentius III. ad varias quæstiones respondens ait: in illo verbo, per quod poenitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè poenitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quàm Ecclesiastica sepultura: concedimus tamen ex gratia, ut Clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ sine cam-



campanarum pulsatione cessantibus solenitatibus omnibus cum silentio tumulentur. Et in conventualibus Ecclesiis bini, & bini, vel simul tres horas Canonicas valeant *legere, non cantare*, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita remissa, quod exterius audiri non possit: cum & Regularibus secundum privilegium Sedis Apostolicæ sit indultum, ut cum generale interdictum terræ fuerit, liceat eis januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressâ voce celebrare divina, quibus positus.

2126 Quares 1. An dicta prohibitio procedat etiam hodie? R. quod non; nam jure novo plura tempore interdicti *localis generalis*, non autem alterius, à Bonifacio VIII. concessa sunt, ut habetur in c. *Alma Mater*, 24. h. t. in 6. cum enim advertisset, quod ex districtione hujusmodi statutorum crescat indevotio populi, pullulent hæreses, & infinita pericula animarum insurgant: ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahantur, subjungit: cum Fratribus nostris deliberatione habita super his diligenti, *concedimus: quod tempore interdicti ab homine, vel à jure prolati: non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam, quàm infirmi, ad pœnitentiam* (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum, summè necessaria est) *licite admittantur: dum tamen excommunicati non fuerint*, quos admitti (præterquam in mortis articulo) nolumus ad eandem.

2127 Secundò: illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem: nisi de ipso delicto (si sint tales, quod id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut si satisfacere nequeunt, vel hujusmodi cautionem præstare juraverint, quod quum poterunt, satisfaciant, & ad satisfactionem hujusmodi per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent, & possunt, præstandam, dabunt consilium, & auxilium, ac juxta posse suum fideliter laborabunt, non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quoad istos vel alios, qui circa hoc minimè deliquerunt (ubi civitas, vel lo-

cus alius, seu universitas interdicti existunt) facienda est relaxatio interdicti, sed est eis solummodo injungenda pœnitentia salutaris.

Tertiò adjicit, quod singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis, Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina officia sicut prius: submissâ tamen voce, & januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Et tam Canonici, quàm Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidiane illis, qui horis interfunt Canonicis, tribuuntur: si ad officia non venerint suprâ dicta, distributiones easdem amittant: sicut interdicto perderent non extante, si divinis officis non adessent.

Quartò, ut in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriose, campanæ pulsentur, & januis apertis altâ voce, divina officia solenniter celebrentur, *excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis*, quibus ob reverentiam dictarum solennitatum (ut ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus divinorum: sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. Cæteris, quæ circa observationem interdictorum à nostris sunt Prædecessoribus instituta, in suo robore duraverint: non obstantibus quibusvis privilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Religionibus, seu personis Ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus, exemptis, & non exemptis, sub quavis forma, vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, quæ, contra tenorem præsentis Constitutionis, nullis volumus suffragari, cum quibuslibet, tam secularibus, quàm regularibus sufficere debeat, ut tempore interdicti, modo præmissis, diebus celebret suprâdictis.

Quares 2. an hæc concessio sit tantum pro interdicto locali generali? 3. ubi celebrare liceat? 4. an omnis campanæ pulsus prohibeatur? 5. an hæc concessio etiam extendatur sub iisdem conditionibus ad sepulturam illorum Clericorum in Ecclesia? Ad 2. R. affirmative cum Tamburini. l. 10. tr. 3. c. 1. §. 3. & patet ex illis verbis in textu: *ut in terris, seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto*. Ad 3. respondet Hurtado diff. 7. licere in Ecclesiis, & Monasteriis.



Monasteriis ex cit. c. 24. ibi: quòd *singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missa celebrantur*; Ad 4. *re.* quòd is tantum, quo convocetur populus ad eam celebrationem audiendam, ibi: & alia dicantur divina officia *sicut prius*, campanis tamen non pulsatis. Hinc poterunt juxta Tamburin. n. 5. pulsari campanæ ad convocandum populum pro concione, ad recitandam salutationem Angelicam, ad designandas horas dici: ad elevationem autem in Missa, posse pulsari negat Lezana, V. *interdictum* n. 26. probabilius concedit Hurtado diff. 7. n. 20. non enim fit *ad convocandum populum*, sed ad eos, qui in Ecclesia sunt, monendos de exhibenda reverentia Christo Eucharistico; sicut etiam Tamburin. loc. cit. Ad 5. affirmativè responderet Tamburin. cit. n. 6. colligitur ex verbis: *sicut prius divina officia dicantur*.

2131 *Quæres* 6. An hæc concessio Clericis facta, quæ Ministris Ecclesiæ, extendatur etiam ad Regulares utriusque sexûs? 7. an ad omnes Clericos? 8. an interdicti, qui excludendi sunt, etiam si intelligantur, qui tales sunt solum ratione loci, non suâ culpâ? 9. an ad carentes usu rationis? 10. an per Ecclesias ibi intelligantur etiam oratoria? Ad 6. *re.* affirmativè, etiam quoad Novitios, & omnes personas Ecclesiasticas, incolas, alienigenas, etiam primâ solum tonsurâ initiatos (si habeant beneficium, aut de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ interserviant, aut in literarum studio ad recipiendos majores Ordines versentur juxta Trident. Sess. 23. c. 6. de reform.) imò & Clericos conjugatos cum Virgine unica, si & ipsi de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ deserviant; Sic Pellizarius in Manual. Regul. tom. 2. tr. 7. c. 4. S. 1. n. 35. quia sumus in materia favorabili. Quamvis Hurtado diff. 7. n. 19. neget de Clericis conjugatis. Ex quo etiam patet responsio ad quæst. 7.

2132 Ad 8. affirmativè responderet Hurtado cit. n. 21. nisi habeant aliud privilegium, vel exposcat necessitas, ut si non adsit nisi Laicus, qui interserviat Missæ. Ad 9. *re.* affirmativè; hi enim non sunt capaces hujus prohibitionis. Ad 10. negat Hurtado n. 18. sed rectius affirmatur sumendas illas voces amplè (cum simus in materia favorabil) pro omniloco sacro, etiam hospitali, imò & oratorio privato, si ab Episcopo deputata sunt, vel etiam ex potestate Prælati Re-

Tom. V.

gularis juxta propria privilegia. Ratio est, quia mens Papæ erat, ut celebrentur divina æquè, ac si non esset interdictum (demptis iis, quæ supra retuli) ergo exercere possunt tempore interdicti, ubicunque ante interdictum poterant; sed in his omnibus poterant; ergo, ita Pellizarius ex Suarez D. 34. S. 1. n. 9.

Circa eandem concessionem, quæ 2133 tempore interdicti generalis localis jure novo facta est, à Bonifacio VIII. in dicto c. *Alma Mater*, ubi dicitur in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. V. campanas pulsandi, & januis apertis, altâ voce, officia divina solemniter celebrandi, excommunicatis profus exclusis, sed interdictis admittis, quibus ob reverentiam dictarum solennitatum præfatis diebus participatio permittitur divinorum: nota, iisdem festivitibus additam esse à Martino V. festum Corporis Christi, & ab Eugenio IV. totam ejus octavam, ut habet Hurtado diff. 7. n. 24. his positus:

Quæstio tamen est 1. an per *Pascha*, 2134 *Nativitatem &c.* intelligantur omnes tres dies Paschatis, Nativitatis &c. 2. Unde sumatur initium illorum dierum? 3. quando desinant? 4. an his diebus etiam permittatur per auditionem Missæ communio? 5. an extrema unctio? Ad 1. affirmativè responderet Pellizarius in Manual. tom. 2. tr. 7. c. 4. f. 1. n. 37. §. *Supponit* 7. & Hurtado cit. n. 24. contra Henriquez, volentem intelligi tantum primum diem; ratio est, quia duo dies sequentes pertinent principaliter, tanquam festa ad illud Mysterium, licet feria secunda Nativitatis alicui Sancto, minus principaliter, sacra sit.

Ad 2. *re.* illos incipere à primis vespers, quoad eorum celebrationem, excepto Paschate, & Pentecoste, quæ incipiunt à Missâ Vigiliæ, quia in earum vigiliis Missa per anticipationem fit de ipsis festivitibus; sic Pellizarius cit.

Ad 3. respondent aliqui, festivitates finire in Completorio inclusivè, & non in secundis vespers; sic Hurtado cit. n. 25. contra Avilam, & alios; quia etiam Completorium pertinet ad celebrationem illius diei. Hæc ratio, Completorium pertinere etiam ad celebrationem illius diei, vera est; sed non videtur esse terminus festi; aliàs labor servilis, post illud licitus esset, &c.

000

Ad



2135 Ad 4. negativè respondet Avila, & Sylvester; alii affirmant de interdictis tantum localiter, exclusis interdictis personaliter ob culpam, ratione cuius latum est illud interdictum locale; hi enim, etsi tunc admitti possint ad Ecclesiam, tamen prohibiti sunt accedere ad altare, sine quo, ordinario modo, non est communio. Hurtado n. 26. assentitur Avila; probabiliter tamen etiam affirmantium opinio defenditur à Pellizario cit. n. 40. §. *Monco* 4. de non interdictis personaliter; nam exceptio est tantum quoad hos; ergo quoad alios firmat regulam.

Ad 5. negativam tenet Pellizarius cit. §. *Monco*, 6. idque de illa tam activè, quam passivè; ratio est; quia circa ministracionem, vel receptionem extremæ unctionis in hac concessione, imò nec alibi, innovatum est aliquid; ergo manet ut antè; antè autem non permittebatur tempore interdicti, & aliunde hic per participationem divinorum, non venit extrema unctio, ut supra monui: ergo.

2136 Præter dictos favores, scilicet celebrandi privatim (de quo dixi n. 2126.) ac etiam publice in quibusdam Festis (ut dixi n. 2134.) concedit etiam Bonifacius VIII. ut in memorato interdicto locali generali, possit omnibus, bonè & malè valentibus, ministrari Sacramentum poenitentiae, ut patet ex n. 2125. & seq. exclusis tamen excommunicatis (extra articulum mortis) 2. iis, ob quorum culpam, vel fraudem latum est interdictum; 3. etiam illis, qui ad eam culpam perhibuerunt consilium, auxilium, vel favorem, nisi prius delicto satisfaciant, vel de hoc dent cautionem, aut si neutrum possint, iurent, ut primum possint, satisfacturos. Ex quo patet ad primum effectum interdicti, scilicet quoad passivam, & activam tractationem divinorum; si enim sit interdictum personale, tam generale, quam speciale, absolute in totum privat eam divinorum tractatione, quod etiam de locali speciali absolute prolato tenendum.

## §. 2.

*An, & qua Sacramenta tempore interdicti prohibeantur?*

2137 Præter effectum, de quo prior §. alter est prohibitio quorundam Sacramentorum tam activè, quam passivè, ut patet ex dictis. Hinc quæres 1. quæ Sacramenta

prohibeantur? 2. an tractatio activa? 3. an receptio? Ad 1. R. per interdictum non privari quem Sacramento poenitentiae, c. *Alma Mater*, de sent. excom. in 6. intellige cum limitationibus datis à n. 2135. Deinde non prohiberi Baptismum solenniter ministrari, & consequenter recipi posse tempore interdicti, etiam à bene valentibus, Eucharistiam autem tantum aëris & constitutis in mortis articulo.

De baptismo habetur ex definitione Alexandri III. in c. *Non est Vobis*, 11. de Sponsalibus, ubi sic loquitur: *Non est Vobis* (sicut arbitramur) *incognitum*, qualiter Rex Anglorum pro discordia, quæ inter ipsum, & filios suos est suborta, uxores eorum detineat: Nos itaque attendentes justum, & honestum esse, ut viri suas petant uxores, mandamus, quatenus eundem Regem ad eas restituendas sollicitè moneatis: & si juxta commonitionem vestram filiis suis uxores suas intra certum terminum non restituerit, *ex tunc in quacunque provinciarum vestrarum detineatur vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla divina officia (præter Baptismum parvulorum, & poenitentias morientium) celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari;* & c. quoniam 19. de sent. excommunic. in 6. ibi: quoniam in Baptismo, & Confirmatione (quæ necdum pueris, sed adultis propter moris periculum exhiberi possunt licet tempore interdicti) Chrismatis utimur unctio: *possit* (licet terra interdicta existat) *Chrisma die cæne Domini consecrari*, dubium non existit. De confirmatione, in c. *Responsio*, 43. h. 1. ibi: *sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad Confirmationem in frontibus à se possunt sacro chrismate deliniri.* Altera pars de Eucharistia habetur c. *Quod in se*, 11. de poenit. quod retulimus superius, & c. *permittimus*, 57. de sent. excom. ita P. Banny tr. 9. q. 14. Loquimur autem de communione more Laicorum, quo omnia fiant, ac si interdictum non esset.

Dubitatur, an tempore interdicti, de 2133 quo agimus, inter Sacramenta prohibita, veniat etiam matrimonium? R. non prohiberi matrimonium; ratio est, quia, licet in interdicto generatim prohibeatur susceptio Sacramentorum, exceptis casibus in iure expressis, ut habetur c. *si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. & *matrimonium* non excipitur: id tamen intelligi debet de iis tantum, quæ commissa sunt administrationi Eccle.



Ecclesiae, seu Ministris ejus ad hoc ordinatis, aut deputatis; Ministri autem in Sacramento Matrimonii sunt ipsi contrahentes, non autem ipsi Ecclesiae Ministri; sic Hurtado cit. diff. 8. n. 28. hinc per oppositam rationem non possunt licite fieri benedictiones nuptiarum, cum pertineant ad divina officia; nec extrema unctio, etiam Clericis; hæc enim ministratur ab Ecclesia, & in jure non excipitur, & habetur in c. *quod in te*, 11. de pœnit. & remissionibus, ibi: *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam Ecclesiastica sepultura, &c.*

2140 Ex ratione porro superius data sequitur, nec Ordines durante locali, ac generali interdicto conferri posse; nec etiam alia Sacramenta, quæ exigunt administrationem Ministris ad hoc ordinati vel deputati; consequenter tam activè, quàm passivè prohiberi administrationem Sacramenti Ordinis dandi, vel recipiendi, extremæ unctiois, ac Eucharistiæ more Laicorum extra mortis articulum, juxta dicta superius; quod tamen accipe de iis, qui non habent speciale privilegium, de quibus articulo sequenti; & ex his patet responsio ad quæstiones n. 2137. propositas.

2141 Præter hæc not. 1. cum dicitur, ne absolutio tempore interdicti excommunicato detur extra mortis articulum, intelligi de absolutione solenni, non privata; Sic Suarez D. 33. S. 1. n. 16. Secundò, si sano Sacramentum pœnitentiæ ministratur in Ecclesia, fieri debere tempore, quo in ea non celebrantur officia divina; his enim interesse non permittitur interdictus, extra festivitates, & casus supra exceptos. Tertiò, cum datur facultas ministrandi Sacramentum tempore interdicti, intelligi datam secundum morem, quo illa consuevit Ecclesia ministrare cum omnibus cæremoniis; ita Sylvester V. *interdictum* §. 9. 7. Quartò, Communionem moribundis non tantum non negari in interdicto locali generali; sed etiam in personali tam generali, quàm speciali; nam nulli morienti negatur Communicatio, cui conceditur pœnitentiæ Sacramentum, ut dicitur in c. *quod in te*, 11. de pœnitent. & remission. hoc autem moribundo personaliter interdicto, suppositâ debitâ dispositione, non negatur, ut liquet ex illis verbis: *in illo enim verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus.* Quintò interdictum locale circumscribi loco, id

Tom. V.

est, extra limites terræ interdictæ non ligare; sic Bauny cit. q. 17. §. dubium. 3. Sextò prohibitionem ab ingressu Ecclesiae, verum esse interdictum, sed probabilius personale, ut notavimus; hinc talis nec privatæ devotionis causâ, esto tunc divina non celebrentur, intrare potest in Ecclesiam; & Clericus, qui talem ad divina recipit in Ecclesiam, punitur interdicto ingressus in Ecclesiam, c. *Episcoporum*, de privileg. 8. in 6. quod retulimus supr. Infontes autem Laici, aut etiam Clerici, qui divinis interfunt, non peccant, si ab adventu in Ecclesiam alicujus interdicti vitandi, à divinis non abeant.

§. 3.

Qualiter prohibita sit tempore interdicti sepultura Ecclesiastica?

2142 Tertius effectus interdicti est carentia sepultura sacra, patet ex c. *quod in te*, de pœnit. & remission. Circa hunc effectum not. 1. distinguendum esse, an interdictum sit locale? an personale? quando interdictum solum est locale, in tali loco sepeliri non possunt fideles Ecclesiasticâ sepulturâ, per c. *quod in te*, 11. §. *Licet autem*, de pœnit. & remiss. ibi: *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus Ecclesiastica sepultura; excipe Clericos, qui servaverunt interdictum, hi enim (juxta cit. §. Licet autem) in Ecclesia cæmeterio (licet interdicto) sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulari possunt.* 2. Etiam in ipsa Ecclesia, quantumvis interdicta etiam specialiter; nam cæmeterium, quod in hac favorabili dispositione exprimitur, non debet strictè sumi, excipe 3. ut in supra dictis festivitibus (de quibus n. 2129.) etiam cum pulsû campanarum, & cantu, dicti Clerici sepeliri possint, ut ibidem ostensum est. Sic Layman l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 3. Dixi in tali loco. Nam qui sunt interdicti generaliter solum ratione loci, non autem personaliter, in alio loco non interdicto ecclesiasticè sepeliuntur; quia tunc neque circa personam, neque circa illum locum extat ulla constitutio prohibens; Dixi 2. ecclesiasticè. Nam tumulare interdictum in loco non sacro, prohibitum non est. Not. 2. interdictos localiter, in loco non sacro sepultos, cessante interdicto, licitè transferri ad locum sacrum; quia tunc cessat prohibitio, sepultos autem contra interdictum

000 2

in



in loco sacro, non propterea debere rursus exhumari, ac transferri ad locum interdictum, quia hoc nullibi statutum est.

2143 Not. 3. interdictos personaliter, si non decesserunt impœnitentes, nec fuerunt denunciati, posse in loco sacro non interdicto sepeliri, ut colligitur ex c. *Sanè*, 24. q. 2. ubi Urbanus II. ait: *quibus vivis communicavimus, etiam mortuis communicare possumus*; si autem nondum fuerunt denunciati, nec à divinis, nec à sepultura sacra ex obligatione repellendi sunt, post Concilium Constantiense, juxta dicta. Nam post Constitutionem Martini V. *Ad evitandum*, nullum interdictum, ante denuntiationem obligat ad vitandum, quod interdicatur; ita Navarrus in Manuali, c. 27. n. 187. & alii, & videtur colligi ex c. 1. de postul. Prælat. licet aliàs nominatim interdicti, etiam ab exemptis, jure antiquo fuerint evitandi, in his, quibus illis interdictum est, ut dicitur in c. *cum & plantare*, 3. de privileg. §. *excommunicatos*. Sufficit autem, cum tota communitas personaliter interdicatur, denunciari totam Communitatem; cum denunciare singulos, moraliter impossibile sit; ita Suarez de Censuris D. 37. l. 2. n. 3.

2144 Si autem quæras, qualiter, & quibus modis violetur interdictum? responsio generalis est, interdictum violari, quoties prohibitus tali censurâ (citra causam excusantem) exercet actum sibi interdictum; aut permissum in substantia cum certis limitationibus præscriptum excedendo; quæ autem in interdicto locali, vel personali, tali censurâ laborantibus, aut innodatis interdicta sint? ex præmissis colligendum est à n. ubi egimus de triplici effectu interdicti, quorum primus est usus tam activus, quam passivus aliquorum Sacramentorum prohibitus; Secundus celebrare, & audire divina officia: tertius carere Ecclesiastica sepulturâ.

## ARTICULUS V.

### *De pœnis violentium interdictum.*

2145 **R**esp. primam pœnam esse irregularitatem, statutam in Clericos, tam Regulares, quam sæculares, qui violant interdictum, sive personale, sive generale per exercitium solemne actus ordinis; ex

c. *Is, cui*, 20. de sent. excom. in 6. quod Hurtado diffic. 12. verum esse vult, esto interdictum illud non sit censura; nam c. *Is, cui*, loquitur indefinitè de violante interdictum, ibi: *is, cui Ecclesia interdictus ingressus (cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius*. Ubi nota textum hunc loqui de interdicto, seu prohibito ab ingressu Ecclesiæ, quod interdictum est personale ex dictis supr. deinde de celebrante divina, ut prius, in Ecclesia, à cujus ingressu prohibitus est, ut liquet ex textu, si contra interdictum *in ea se ingerat* in suo agens officio, ut prius; hinc talis extra illam Ecclesiam poterit celebrare divina; sic Barbosa in cit. c. 20. n. 4. Not. 3. interdicto, seu prohibito ab ingressu Ecclesiæ non esse prohibitum omnem introitum in Ecclesiam, sed tantum eum, qui est ad celebrandum divina officia; colligitur ex illis verbis: *cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta*.

Altera pœna est, ut, qui secluso privilegio scienter celebrat in loco supposito interdicto, irregularis fiat, irregularitate reservatâ Papæ, ac incligibilis passivè, ut dicitur in c. *Is, qui*, 18. cod. §. *Is verò*, ibi: *is verò, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto (nisi super hoc privilegatus existat, aut à jure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit: à qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari, & adeo efficitur intelligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debet admitti, & c.* 1. de postulat. Prælator. ubi, qui violat interdictum, *impostulabilis* est, ibi: *quoniam nobis pro certo contabat, quod idem Episcopus interdicti sententiam non servasset, postulationem hujusmodi non propter postulantem Ecclesiam, sed propter postulatam personam repulimus ut indignam*. Dixi: *in loco interdicto supposito, scienter celebrantem*, dictas pœnas incurere, quod non contingit, si quis scienter celebret in Ecclesia, vel loco sanguinis, vel seminis effusione polluto; quod etiam procedit de scienter celebrante coram excommunicato, per c. *Is, qui*, 18. h. t. licet huic, scienter celebranti coram excommunicato interdicator ingressus Ecclesiæ; & si sub hoc in ea celebret, irregularitas infligatur per c. *Epi*.



c. *Episcoporum*, 8. de privileg. in 6. quod loquitur de Regularibus etiam exemptis.

2147 Præter hæc not. 1. eos, qui in loco interdicto missas, & alia divina publicè, & solemniter *presumptuose* faciunt celebrari; vel alios cogunt celebrare, incurrere excommunicationem reservatam Papæ per Clementin. *Graves* 2. h. t. ubi idem statuitur 2. in eos, qui per campanarum pulsationem, vel voce præconis, interdictos non obstante prohibitione ad audiendas Missas faciunt evocari, 3. in eos, qui prohibent, ne publicè excommunicati, vel interdicti ab Ecclesiis, in quibus Missæ celebrantur, etiam admoniti à celebrantibus, discedant, 4. in ipsum etiam publicè excommunicatum, vel interdictum, existentem in Ecclesia interdicta, dum Missæ celebrantur, si nominatim monitus exire nolit.

2148 Advertendum autem textum in primo casu procedere de nobilibus, & Dominis temporalibus quibuscunque, si in suis terris Ecclesiastico interdicto suppositis, in Capellis, vel insignibus Ecclesiis Collegiatis, sive Missas, sive alia divina officia solemniter, & publicè celebrari faciunt, aut ad celebrandum compellunt. Deinde secundum casum loqui de evocantibus prohibitos ad audiendam Missam; igitur non, si ad alia divina officia; cum ea dispositio sit poenalis. Unde etiam illud in tertio casu, *ne ab Ecclesiis discedant*, strictè sumi debet ex eadem ratione, non de privatis Ordinariis, & aliis locis, quæ non sunt strictè *Ecclesia*. Si autem contingeret talem, quando Missæ celebrantur, intrare locum celebrationis, in Missa (si Sacerdos nondum incepit canonem) non debet ulterius procedi, si monitus exire nollet; sic Navarrus in Tractat. de Oratione, c. 16. n. 19. apud Barbosam in cit. Clem. 2. n. 3. & colligitur ex textu, ibi: ex quo frequenter contingit, quod non sine DEL offensa, Clerique ac populi scandalo, ipsa Missarum solemnia remanent inexplata, de quo plura Gloss. ibid. V. *inexplata*.

2149 Not. 2. Regularibus etiam Mendicantibus, ac exemptis, scienter transgredientibus interdictum per Sedem Apostolicam, vel Ordinarium loci positum, ipso facto statui excommunicationem, non obstantibus appellationibus, & aliis objectionibus, quas afferunt in sui defensionem, ut habetur in Clement. *Ex frequentibus*. 1. h.

t. junctâ Glossâ V. *Quibuscunque*. Circa istam constitutionem advertendum. 1. hanc obligationem non præjudicare his, quæ Regularibus etiam tempore interdicti concessa sunt per c. *Alma Mater*, de quo supra n. 2126. jam egimus; constat ex textu cit. Clementinæ, ibi: *cum moderatione rationem Decretalis, Alma*; 2. Eos sub dicta poena teneri ad observandum interdictum, quoad Cathedralē, vel Matricem, seu Parochialem loci Ecclesiam, intellige, in qua ipsi habitant, observare sciverint; 3. hanc constitutionem loqui solum de interdicto generali locali, ex textu, ibi: *civitatatum, terrarum, & aliorum generalia locorum interdicta*; 4. Procedere solum de Religiosis; non autem Clericis secularibus, vel Laicis, ibi: *mandamus quatenus Religiosi quicumque tam exempti, quam non exempti, cujuscunque Ordinis, & conditionis existant*. Huc etiam pertinet Decretum Trid. Sess. 25. de Regularib. c. 12. ut Regulares etiam in suis Ecclesiis Episcoporum interdicta publicent & servant. de quo V. Azor. p. 1. l. 12. c. 13.

### ARTICULUS VI.

*Qui possent interdicerē, quos, & ob quam causam?*

PRO resolut. suppon. 1. interdictum non posse validè ferri absque culpa; quia omne interdictum est poena; consequenter supponit culpam; secundo posse quem localiter interdici, seu generaliter, seu particulariter ob culpam alienam, ut constat ex c. *Non est*, 11. de sponsalibus; quod etiam procedit de interdicto personali generali; quia sic innocens non paritur ut innocens, sed ut pars corporis, seu communitatis, aut capitis, cujus culpa supponitur; ita Hurtado hic diffic. 13. ex c. *Si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. ob culpam autem Capitis in communitate, detinentis as alienum, non posse ferri prædicta interdicta sine Papæ licentia; quia sic ea culpa non est culpa capitis, *ut est caput communitatis*; sic Hurtado cit. ex constit. *Extra vag. Provide*, de sent. excom. demum nec interdictum personale particulare ferri validè absque culpa personali (sic enim est poena propria; ergo supponit culpam propriam) rectè tradit Suarez D. 36. S. 3. Hinc interdictum locale generale, vel particulare; item generale personale, non fertur validè,



nisi ob culpam mortalem; hæc enim interdicta sunt poenæ gravissimæ; sic Hurtado cit. *f. est tamen*; licet interdictum personale particulare, non integrum, sed solum ab uno v. g. actu, & ad modicum tempus, validè ferri possit, ob culpam solum venialem; sic enim est poena valde levis.

2151 Difficultas est, an ob culpam solum venialem ferri possit validè præfatum interdictum omnino integrum? negativam sequitur Suarez cit. & Vasquez 1. 2. D. 58. n. 50. quia sic est poena gravis: affirmativam autem Hurtado n. 40. quia non est poena major, quàm minor excommunicatio; quod tamen limitat, si sit generaliter latum à jure, vel ab homine; secus si latum sit ab homine specialiter, quia sic difficilior tollitur; verum negativa probabilior videtur; quia totale interdictum est poena gravis; & multò pluribus privat, quàm minor excommunicatio, ut patet ex utriusque effectibus. Præter hoc not. 1. omnia, quæ excusant à culpa, quæ supponitur ad interdictum, excusare etiam ab interdicto, 2. interdictum, quæ est censura, ferri tantum posse ob culpam, quæ sit contra legem Ecclesiasticam; puram verò poenam, ob culpam etiam, quæ sit contra legem etiam solum naturalem, esto non contra legem Ecclesiæ; quibus positus:

2152 Prima quæstio est, qui possint interdici? R. quòd omnes illi, & soli, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, vel ordinariam, vel delegatam; quamvis Prælati Regulares ex consuetudine non possint jam localiter interdici; ita Hurtado cit. diffic. 14. ubi tamen nota, excommunicatum, vel suspensum vitandum nec validè, nec licitè uti hæc potestate, quia tunc eà privatus est 2. nec etiam toleratum posse illà uti validè, aut licitè, etiam si provocetur à fidelibus, quia etsi possint, non tamen tenentur ei obedire: ergo non obediendo ejus præceptis non committunt inobedientiam, quam supponit punitio per interdictum. Interdictus autem etiam non toleratus, validè, & licitè suam potestatem interdicens exercet, si quam habuit antè, quia interdictum non prohibet, nec privat jurisdictione interdicens; sic Hurtado loc. cit. n. 43. sub fine: non ferri tamen licitè, nisi in scriptis exprimendo causam interdicti, ex c. 1. de sent. excom. in 6. & qui secus facit,

interdicitur per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis. Ut autem interdictum, propter communicationem cum excommunicato, in rebus, ubi à jure solum imponitur excommunicatio minor communicanti, validum sit, requiritur prævia monitio, vel formaliter, vel virtualiter trina, cum interstitio competentis c. *statutum*, 13. de sent. excom. in 6. junct. c. *statuimus*, 3. & c. *constitutionem*, 9. eod.

Verum in c. *statuimus*, solum dicitur, quòd excommunicatio lata in participantes excommunicatis in locutione, & similibus non teneat, canonicam monitionem non præmissam; in c. *Constitutionem* Gregorius X. declaramus decretalem Innocentii IV. de qua in c. *Statuimus*, ait: *ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum declarantes decernimus, ut demum esse monitionem canonicam in hoc casu, si aliis ritè servatis, ut qui monentur, exprimas nominatim; & exponens, quæ dicatur monitio canonica? Statuimus quoque, inquit, ut inter monitiones, quas (ut Canonice promulgetur excommunicationis sententia) statuunt jura præmissa: Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unà pro omnibus observent aliquorum dierum competentia intervalla: Nisi sicuti necessitas aliter ea suaserit moderanda; ubi vides in duobus allatis canonibus nihil dici de interdicto: clarè tamen exprimitur in c. *statutum*, 13. ibi: *Statutum* Gregorii Papæ X. factum ad declarationem constitutionis Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis eà participatione, quæ solum minorem inducit, majore excommunicatione ligari monitione canonicam non præmissam: in suspensionis & interdicti sententiis (quæ pro hujusmodi participatione plerumque ab ordinariis, vel delegatis Judicibus promulgantur) præcipimus inviolabiliter observari. Decernentes easdem sententias non tenere aliter promulgatas.*

Altera quæstio est, qui possint interdici? R. quòd omnes Baptizati, vivi adulti, excepto Papâ, interdici possunt, non tantum ut personæ particulares, sed etiam, quæ sunt membra alicujus communitatis; quia hi omnes sunt subiecti potestati Ecclesiæ, & capaces obligationis; res autem inanimatæ, v. g. templa, urbes, &c. possunt non aliter, nisi ut circumstantiæ, quatenus scilicet homines prohibentur in tali loco



loco divina celebrare, sic assistere, Sacramenta aliqua recipere, vel sepeliri. Infantes autem & amentes, si loquamur de interdico personali & aliis, quæ pro effectu suo habent aliquam prohibitionem, interdici nequeunt, utpote incapaces; secus: quoad Ecclesiasticam sepulturam; id, quod etiam procedit de jam defunctis; quia non amplius subsunt potestati Ecclesiæ.

2155 His adde, interdictum, quod est censura, non tolli, nisi absolute ex n. 1820. &c. quando autem est pura poena, cessare elapso termino præfixi temporis; aliàs non tolli, nisi legitima dispensatione. Si autem quaras, à quo possit auferri interdictum, quod indiget auferri ab aliquo? R. 1. si latum sit, ut censura, ab homine in aliquem nominatim, auferri debere à Latore, vel ejus Superiore aut Successore; ratio est ex n. 2027. & seq. interdictum autem locale, & generale personale latum ut censuram, generaliter à jure, vel ab homine, quatenus non reservatur, posse tolli ab Ordinario, ex c. *Nuper*, 29. de sent. excom. V. dicta an. 1819. de reliquis etiam discurre, ut ibi; quæ tamen intellige de interdictis, quæ sacramentaliter tolli possunt; non verò de iis, quæ secus, ut sunt localia; locus enim sacramentaliter absolvi non potest, sicut nec civitas; ubi tamen nota, hoc interdictum, quod diximus auferri posse ab Ordinario, non posse auferri à Parocho, vel Confessario ordinario juxta Hurtado de interdict. diff. 16. (nisi sit solum particulare personale) quia interdictum personale particulare adjunctum generali locali non impedit absolutionem à peccatis, ex c. *Alma Mater*.

2156 Interdictum, quod est pura poena, sive à jure, sive ab homine, generaliter latum auferri non potest, nisi à potente dispensare in eo jure, quando latum est à jure; & à Papa, quando latum est ab homine, seu Judice; Judex enim inferior dispensare non potest in ulla poena juris; nec in alia pura poena lata per sententiam etiam ab ipso; nam hæc potestas non est in ipso, etiam respectu poenæ à se latæ; nec ei conceditur ex eo, quod non reservertur, nisi ad absolutionem, quæ debetur bene disposito; sic Hurtado cit.

2157 Not. 2. solum interdictum generale auferri non posse ad cautelam, ex c. *presenti*, 10. de sent. excom. in 6. ibi: presentigenerali declaramus edicto, *beneficium relaxa-*

*tionis ad cautelam, quoad interdicti sententias in civitates, castra, vel qualibet alia loca, sive terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere: potest tamen etiam hoc tolli ad tempus ab eo, qui potest totaliter auferre; aut etiam suspendi, suspendendo scilicet causam, seu sententiam.*

## ARTICULUS VII.

*Quæ interdicta sint jure lata?*

R Esp. ipso facto interdiciuntur primo 2158 Universitates, seu Collegia, quæ locum habitationis concedunt alienigenis usurariis, per c. 1. de usur. in 6. secundo si concedant represalia, seu pignorationes, quibus unus pro alio gravatur contra personas Ecclesiasticas, vel eorum bona, nisi revocaverint intra mensem c. *unico*, de injuriis in 6. tertio Universitates, & Capitula, quæ à sententia Papæ appellant ad Concilium generale, ex Bulla Coenæ; quarto Universitates, quæ sine licentia Papæ tributum exigunt ab Ecclesiasticis, c. *quoniam*, 4. decensib. in 6. ibi: *cum igitur Ecclesia, Ecclesiasticæque persona, ac res ipsarum, non solum jure humano, quin imò & divino, à secularium personarum exactionibus sint immunes.* Qui verò contra fecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis: si autem Collegium, vel Universitas civitatis, castri, seu loci alterius cujuscunque, *ipsa civitas, castrum, vel locus interdicti sententias ipso facto incurrant:* nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.

Quinto interdiciuntur ipso facto Capi- 2159 tula, quæ sede vacante intra annum concedunt dimissorias ad Ordines non arctato ad id ratione beneficii. Trid. Sess. 7. de reform. c. 10. Sexto, quæ, non servatâ solemnitate præscriptâ præsumunt aliquam censuram ferre, ex c. 1. de sent. excom. in 6. Si autem excommunicant sine monitione competenti, solum interdiciuntur per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ, c. *Sacerd*, 48. de sent. excom. & in c. præcit. Septimo ab ingressu Ecclesiæ, donec restituant, interdiciuntur Episcopi & Superiores, usurpantes sibi bona Ecclesiarum, aut beneficiorum, c. *presenti*, 9. de offic. Ordin. in 6.

Octa-



Octavo similiter interdicuntur, donec ei, cujus sententiam violârunt, satisfaciant, omnes etiam exempti, qui scienter celebrant, aut celebrari faciunt divina officia in loco interdicto, aut excommunicatos, vel interdictos non toleratos ad divina officia, Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt, c. 8. *Episcoporum*, de privileg. in 6.

2160 Nonò interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, si non restituant intra mensem in duplum Episcopi, qui inter visitandum aliquid eis prohibitum acceperunt ex c. r. de Censib. in 6. & c. *exigit*, 2. cod. Decimò interdicuntur Laici conferentes Episcopatum, vel Abbatiam, & recipientes ab illis, donec dignitas deferatur, c. *si quis deinceps*, 16. q. 7. Reliqua interdicta localia videri possunt apud Suarez D. 37. quia post extravagantem *ad evitanda scandala*, non obligant ante denuntiationem à Judice factam.

### ARTICULUS VIII.

*Quid possint Regulares tempore interdicti?*

2161 **R**esp. Plura esse privilegia Regularibus concessa, quibus à lege interdicti eximuntur. Primum habetur in c. *Ut privilegia*, 24. §. *illud etiam*, de Privileg. ubi Bonifacius VIII. primum refert, quæ Sedes Apostolica Regularibus indulgit, nimirum, ut his, qui Fraternitatem eorum assumpserint, si forsitan Ecclesiæ, ad quas pertinent, à divinis officiis fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati, vel nominati fuerint interdicti. Suos quoque Confratres, quos Ecclesiarum Prælati apud Ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati, vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad Ecclesias suas deferant tumulandos: & postmodum declarat, qualiter hoc privilegium intelligendum sit, dicens: hoc autem de illis Confratribus intelligimus, vel qui adhuc manentes in sæculo eorum ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari, vel eis, qui bona sua dederant inter vivos, retento sibi (quam diu in hoc sæculo vixerint) usufructu, qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium, vel aliorum non interdictas Ecclesias, in quibus elegerint sepulturam, ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum, pro duobus, aut tribus denariis annuatim sibi collatis, dissolvatur pariter, & vilescat Eccle-

siastica disciplina: certam tamen & ipsi remissionem obtineant ab Apostolica sibi Se. de concessam.

Subjungit: illud etiam, quod hujusmodi regularibus est indultum, ut si qui fratrum suorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates sive collectas in quamlibet civitatem, castellum, vel vicum advenerint, & fortè locus ille à divinis officiis sit interdictus, in eorum iucundo adventu semel in anno aperiatur Ecclesiæ: ut exclusis excommunicatis, divina ibidem officia celebrentur: sic intelligi volumus, quod in eadem civitate, aut castro, aut villa una tantum Ecclesia ejusdem ordinis fratribus semel (ut dictum est) aperiatur in anno: quia licet pluraliter dictum sit, quod in eorum iucundo adventu Ecclesiæ aperiatur, non tamen ad Ecclesias ejusdem loci divisim, sed prædictorum locorum conjunctim sano referendum est intellectum: ne si hoc modo singulas ejusdem loci visitarent Ecclesias, nimirum vilipendi contingeret sententiam interdicti. Qui verò contra declarationes prædictas quidquam sibi usurpare præsumperint, gravi subiaceant ultioni.

Circa hoc privilegium Regularibus concessum not. 1. id etiam per ipsam legem extendi ad Episcopos, ut expressè habetur in c. *Quod nonnullis*, 25. cod. ibi: *quod nonnullis est Religiosis indultum, in favorem provincialis officii ad Episcopos extendentes concedimus*, ut cum commune terra interdictum fuerit, excommunicatis, & interdictis exclusis, possint quandoque jamis clausis, suppressâ voce, & non pulsatis campanis divina celebrare officia: *Nisi hoc ipsum eis expressè fuerit interdictum.*

Not. 2. hoc privilegium non esse concessum quibuscunque Regularibus, & lege disponente Episcopis, ut procedat etiam de ipsis, qui causam dederunt interdicto, ut apertè declarat Pontifex in cit. c. *Quod nonnullis*, ibi: *verum hoc illis concedimus, qui causam aliquam non præstitierint interdicto nec quicquam (doli vel) fraudis ingesserint tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes. Tales enim sunt personaliter interdicti, licet interdictum eorum causâ latum sit generaliter etiam locale, arg. c. si sententia, 16. de sent. excom. in 6. at personaliter interdicti, spectato jure communi, non possunt celebrare, aut interesse divinis per c. *sin. S. adjuvamus*.*



*imus*, in 6. ibi: sed interdictis admissis, sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. id quod etiam dicitur in c. Licet 1. eod. in 6.

2165 Not. 3. Privilegiatis, ut tempore interdicti possint celebrare divina, clausis Ecclesiis, per hoc non concedi, quod possint alios etiam extraneos admittere, nisi super hoc specialiter privilegiati sint; 2. si persona particularis privilegiata sit, ut submissa voce divina celebrare possit tempore interdicti, vel audire divina, ejus familiares domesticos ad eadem licite admitti; non sic autem in familiaribus alicujus Conventus, seu Collegii, nisi & illi privilegiati sint, ut expressè definitum est in c. Licet, 11. de privileg. in 6.

2166 Nota 4. quando propter aliquorum delictum, qui alias facile corrigi non possunt, fertur generale interdictum locale, etiam reliquos ad id de jure observandum teneri, licet illi, quorum causa latum est, illud non observent; nam horum excessus non dat aliis, nec dare potest licentiam delinquendi, ut dicitur in c. Petistis, 20. de privileg. Nam, cum Episcopus, & Capitulum Tripolitanum resoluti petissent, utrum, cum propter Hospitalarios vel Templarios civitas illorum generali supponitur interdictio eisdem non servantibus, ipsi illud teneantur observare? respondit Pontifex Innocentius III. quod *illorum excessus, vobis non prabet licentiam excedendi*. Sed si praefati Hospitalarii vel Templarii privilegiorum suorum fines excesserint, violando temerè interdictum, quod pro eis fuerat promulgatum: ne videantur de aliorum fletu ridere, vos in poenam praesumptionis eorum, quamdiu ipsi violaverint interdictum, de nostra licentia celebretis.

2167 Not. autem 5. interdictum, de quo in c. Petistis, fuisse latum ad instantiam, & favorem Templariorum, & ideo, cum hi ipsi non observarent illud, etiam Episcopo & Capitulo indultum esse Papali gratia, ut ipsi clam celebrare possent; cujus rationem dat Pirhing de privileg. n. 81. quod alii servare non teneantur interdictum, positum in favorem aliorum, quod hi ipsi non observant; secus, si in poenam, & sic puniti transgrediantur.

2168 Alterum privilegium habetur quoad sepulturam Ecclesiasticam in eod. c. Ut privilegia, cujus verba dedimus supr. n. 2161. Tom. V.

unde constare poterit, quibus & pro quibus hoc indultum sit. Ubi tamen not. quando dicitur, Fratribus eorum Regularium concedi, ut, nisi sint excommunicati, vel nominatim interdicti, non negetur Ecclesiastica sepultura in Ecclesiis, ad quas pertinent, seu quarum Parochiani sunt, intelligendum esse, licet interdicta sint, si morientes nullam sibi elegerunt sepulturam; nec etiam habeant propriam, nimirum talem, in qua majores eorum sepeliri consueverunt: quo casu etiam in hac, quantumvis interdicta sepeliri possunt, & debent, non electa alia. Quod si Praelati dictarum Ecclesiarum eorum cadavera non permiserint ibi sepeliri, vi ejusdem privilegii dictis Regularibus concessum ad suas Ecclesias deferre, ac ibidem tumulari, modo illi Fratres non sint excommunicati, vel nominatim interdicti. Ita textus hujus c. in n. jam cit. Ex hoc autem, quod ejusmodi oblato gaudeant privilegio Religionis suae quoad sepulturam Ecclesiasticam, non licet inferre idem de privilegio exemptionis, ut supra diximus.

Præter hæc not. 1. licet Regulares 2169 personaliter interdicti possint à Papa, & Praelatis suis Regularibus, non autem ab Episcopis, nec Legatis, nisi sint à latere, vel horum literæ faciant expressam de hoc mentionem (ut habetur ex privileg. Clementis IV. apud Pellizarium in Manual. regul. tom. 2. tr. 7. c. 4. q. 3.) hoc tamen limitari, ut non procedat, si habeant beneficium sub tali Episcopo; quibus adde, Praelatos Regulares posse solum personaliter interdicta ferre, non localia; Sic Pellizarius cit. n. 5. Quando autem Episcopus interdicat specialiter Ecclesias alicujus urbis, non intelliguntur Ecclesiae Regularium exemptae. Nam Tridentinum (quod attulimus in praemissis) loquitur solum de interdicto *locali generali*; sic Pellizarius cit.

Not. 2. Praelatos Regulares non sub- 2170 jacere interdicto generali personali, à se lato contra communitatem sibi subditam. Nemo enim directe potest in se censuram ferre; ac in interdicto generali personali *contra Viros Religiosos*, non comprehendi moniales; non enim sunt *viri*; in lato autem *contra Religiosos*, comprehendi vult eas Pellizarius q. 12. verum illæ non sunt *Religiosi*, & res poenalis est, consequenter odiosa, & interpretationis strictæ.

Ppp

Not.



2171 Not. 3. Regulares transeuntes per loca interdicta, teneri ibi servare interdictum, quamdiu ibi commorantur, si interdictum latum sit locale generale; secus, si sit generale personale. Nam interdictum locale quodammodo inhæret loco; non autem personale. Hinc legitime interdicto personaliter aliquo monasterio Regularium, non subjacent huic interdicto Religiosi sibi hospites; bene tamen Novitii ibi commorantes. Hi enim sunt pars illius communitatis, non autem illi; si autem Regulares fiant pars communitatis prius interdictæ, subjiciuntur & ipsi ei interdicto; si verò desinant esse pars communitatis prius interdictæ, desinunt etiam esse interdicti, nisi sint ex iis, qui illi interdicto dederunt causam, ut diximus supr.

2172 Not. 4. Regulares interdictos posse administrare Sacramentum poenitentiae, & recipere, ex jure novo in c. *Alma Mater*, de sent. excom. in 6. quod intellige tempore interdicti localis, tam generalis, quam specialis, & personalis generalis; idque cum hac limitatione, ut persona interdicta non sit etiam excommunicata, aut interdicta specialiter. 2. Ut non dederit culpabilem causam interdicto. Sed de his plura jam dicta sunt in his, quæ præmissimus.

### PARS V.

#### *De irregularitate in communi.*

2173 **S**ayrus l. 6. de Censur. c. 1. n. 16. multas irregularitatis definitiones affert; & ante alias, tanquam communem approbat hanc: *Irregularitas est canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, & jam promotus in iisdem ministrare prohibetur.* Cum hac ferè coincidit definitio, quam affert Suarez D. 40. de Censur. S. 1. *Est inhabilitas, seu impedimentum canonicum, ex se directè, ac primariò impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & consequenter etiam usum eorum.* Loco generis ponitur *inhabilitas*, & non *pœna*; quia non omnis irregularitas pœna est. Additur, seu impedimentum *canonicum*, quia irregularitas humano jure, non civili, sed Ecclesiastico introducta est. Unde non baptizatus, & femina irregulares non sunt; quia illorum inhabilitas à jure divino, & non canonico orta est.

2174 In data definitione particula (*ex se di-*

*rectè, ac primariò impediens*) distinguit irregularitatem à censuris. Quia *excommunicatio* privat ex se communicatione fidelium, *interdictum*, auditione divinorum officiorum, & *suspensio* muneribus sacris. Accedit, quòd suspensio solum respiciat actus, eorumque usum prohibeat; irregularitas verò, quantum est ex se, ipsam capacitatem Ordinum aufert. Imò particula *Ordinum Ecclesiasticorum* includit non solum sacramentales Ordines, sed etiam primam tonsuram, quam suspensio non impedit, sed supponit. Particula *ex se* etiam posita est ad occurrendum difficultati de Sacerdote, qui irregularis sit post omnes Ordines susceptos. Quia irregularitas ex se habet vim impediendi susceptionem Ordinum, ita tamen, ut si subiectum sit incapax susceptionis futuræ, quia jam suscepit, saltem impediatur Ordinum usum, sicut in matrimonio affinitas in primo, & secundo gradu per fornicationem contracta ex se dirimit matrimonium, at superveniens matrimonio solum impedit ejus usum. Irregularitatis effectus latè exponit Suarez D. 40. S. 2.

## ARTICULUS I.

### *Quotuplex sit irregularitas*

**A**ngelus V. *Irregularitas* 1. & Majorius 217 l. 1. de irreg. c. 3. multas enumerant irregularitatis species sine ullo ordine; Sayrus de Censur. l. 6. c. 1. n. 27. omnes irregularitates reducit ad duo capita, ita ut quædam sint, quæ contrahuntur *ex delicto*, & dicuntur contrahi ex facto proprio; alii breviter, & dilucidè dividunt irregularitatem in eam, quæ contrahitur sine ullo proprio actu ob aliquem corporis, aut natalium defectum, sic sunt irregulares cœci, & illegitimi: ac in eam, quæ contrahitur ob aliquem actum proprium; quæ iterum subdividitur in eam, quæ fertur ob aliquam culpam eam contrahentis, v.g. patrantis homicidium, & eam, quæ incurratur sine ulla culpa, nempe ob bigamiam, defectum lenitatis, & similia. Denique alia est totalis, & alia partialis.

*Totalis* ab omni ordine suscipiendo, aut exercendo perpetuò excludit. *Partialis* alio nomine *secundum quid*, est, quæ non impedit omne exercitium ordinum, v.g. Sacerdos, qui amisit pollicem, manet irregularis ad celebrandum, non verò ad audiendas confessiones, & alia Sacerdotalia munera ob-eundum; & juxta Lessium l. 2. c. 34. n. 120. Dia-



Diaconus, vel Subdiaconus potest fieri irregularis ad suscipiendum Sacerdotium, ita tamen ut non sit irregularis ad functionem ordinis susceptivam, g. ad canendum Evangelium, vel Epistolam. Aliqui Authores dicunt irregularitatem aliam esse juris divini, aliam juris humani; Sed perperam: quia nulla irregularitas est juris divini, ut latè probat Suarez D. 40. l. 4. quibus adde, omnem irregularitatem esse à jure, nullam ab homine, patet ex c. *Is, qui*, de sent. excom. excipe Papam; qui eam inducere potest, de quo Suarez cit. & alii, hinc eo inferiores non possunt facere irregularem; sic Streinius Juris Canonici p. 3. tit. 16. de pœnis, §. 13. n. 2.

2177 Observandum autem 1. ut contrahatur irregularitas ex delicto, requiri actum externum, consummatum, & graviter malum; *externum*, quia punitur poenâ potestatis sensibilis; *consummatum*, nisi exprimat aliud in jure, cum sit poena, de quo V. Azor l. 1. c. 2. & lib. 4. decret. à n. 1597. *graviter malum*, quia poena est gravis. In quaestione autem, an ignorans suo delicto annexam esse irregularitatem, hanc incurrat? affirmant Streinius cit. & apud eum Azor p. 1. l. 5. c. 7. q. 4. Sylvester V. *pœna*, n. 13. Armilla eodem, n. 1. Diana p. 4. tr. 21. Videtur tamen negandum de irregularitate ex delicto, ex dictis superius quo me remitto.

2178 Observandum 2. non requiri, ut actus, ob quem incurritur irregularitas ex delicto, sit manifestus, & notorius; Sic Covarruvias in Clement. *Si furiosus*; p. 2. §. 3. & Tridentinum sess. 14. c. 7. homicidæ per industriam, & insidias, quantumvis occulto statuit inhabilitatem ad ordines & beneficia. Nec obstat, si dicas, latentia peccata vindictam non habent, c. *Christiana* 32. q. 2. & Clericus propter crimen aliàs degradatione dignus, si sit occultum, impediri non debet à promotione, c. *Externore*, de tempor. ordin. ergo. 32. utrumque antecedens verum esse de poena per Judicem, non verò de poena à jure. V. Layman l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 9. Barbof. *ibid.*

2179 Observandum 3. in controversia esse, quid dicendum in dubio irregularitatis? Nam juxta c. *Is, qui*, 18. de sent. excom. in 6. irregularitas non contrahitur, nisi in casibus jure expressis; e contra in c. *ad audientiam*, 12. de homicidio dicitur, in dubio propter periculum animæ, tutiorem

Tom. V.

partem eligendam esse, consequenter judicandum pro irregularitate. Coeterum mihi videtur, quando est dubium juris, non contrahi irregularitatem. Nam de hoc loquitur c. *Is, qui*, incurri autem, quando est dubium facti, ut si dubium sit, an factum sit homicidium? & hoc propter claram decisionem c. *ad audientiam*, & c. *significasti*, eodem, quod in eo solum casu valere vult Tolerus l. 1. c. 57. n. 13. quando aliàs est animæ periculum, ut cum dubitatur, an irregularitatem contraxerit, ex qua suspenditur a sacrorum administratione: Secus, si absit, ut si dubium sit solum in materia beneficii, vel officii retinendi; de quo V. Streinium cit. n. 6. Coeterum irregularitas de facto non incurritur in ullo casu, nisi jure expresso, ut habetur expressè in cit. c. *Is, qui*, de sent. excom. in 6. *ibi: cum non sit expressum in jure*. Sic Leander t. 1. hic D. 1. q. 5. cum communi contra Layman l. 1. p. 5. t. 5. c. 1. n. 6. Bauny de Censur. t. 11. q. 3. p. 446. Dianam, p. 8. t. 7. n. 28. Quando autem dubitatur, an impedimentum inducat irregularitatem totalem, vel tantum partialem? censeri totalis debet, si illud obfit exercitio cujusvis Ordinis; secus partialis, ita Streinius cit. n. 7.

Observ. 4. Quod nulla irregularitas, 2180 etiam totalis privet jurisdictione Ecclesiasticâ, aut seculari; inter hanc enim, & sacros Ordines, non est necessaria connexio; hinc Episcopus irregularis licitè & validè excommunicat, absolvit, dat facultatem audiendi confessiones &c. ita Suarez D. 40. S. 2. n. 12. 24. & 44. Gibalinus c. 7. p. 2. Layman l. 1. t. 5. c. 1. n. 2. nec etiam privet ipso jure beneficii prius obtentis, arg. c. *postulasti*, de Clerico excommunicato, deponi hinc fructibus suorum beneficiorum, licitè fruitur, modò per se, vel alium onera beneficii subeat; sunt tamen beneficio tales privandi, & si per alios satisfieri non potest, debet vel sponte dimittere, vel privari; Glossa in c. *pudeat*, dist. 50. Sic Layman cit. Sed estne beneficii collatio de novo facta irregulari ipso jure invalida? communis affirmat, sed fateor non esse jus, quo id definiatur; unde Gibalinus apud Streinium tenet negativam.

Observand. 5. in irregularitate so- 2181 lum summum Pontificem dispensare potestate ordinariâ, qui tamen in casu bigamiæ, & homicidii voluntarii, id rarò facit, ut

Ppp 2

patet



patet ex c. 2. de bigamis, ubi Lucius III. Spalensi Archi-Episcopo rescribens: super eo, inquit, quod tua fraternitas de bigamis requisivit: respondemus, quod ordinatores eorum potestate, & officio ordinandi; & ordinati, si ad sacros ordines fuerint promoti: eis ideo sunt privandi: quia *in bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros ordines promoveri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere.* In ordinatore autem potest dispensatio adhiberi, ut ordinandi potestate & officio non priveret: & Coelestinus III. in c. 3. eod. ibi: *de bigamis Presbyteris, & viduarum maritis*, idem sancimus omnino, ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis, ad divinorum debeant celebrationem admitti: maximè cum à doctrina sit Apostoli, & institutionibus Ecclesiæ alienum; quod confirmatur ex c. *nuper*, 4. eodem: fit tamen aliquando, c. *nisi*, 10. de renuntiat, ubi inter causas, ob quas Episcopi possunt renuntiare, & Pontifex consuevit renuntiationem admittere, ponitur *irregularitas persona*: hinc Episcopi, & illis inferiores non possunt potestate ordinariâ, irregularitatem contractam relaxare; quamvis ex privilegio Tridentini sæpius jam citato dispensare possint in irregularitate ex quocunque delicto occulto, excepto homicidio voluntario.

## ARTICULUS II.

De irregularitate sine delicto.

2182 **C**ommunis tenet, ex octo capitibus irregularitatem citra delictum nasci 1. ex defectu natalium; 2. defectu originis; 3. defectu libertatis; 4. ætatis; 5. famæ; 6. corporis; 7. animæ; 8. Sacramenti. Nam de defectu lenitatis dicemus infra à n. 2227. Hinc quæres 1. quid in hoc casu operetur defectus natalium, seu cum quis est illegitimus? de hoc casu agitur c. 1. de filiis Presbyterorum ibi: *ut filii Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes: pralationes verò nullatenus habeant.* & c. *fin.* eod. ibi: *mandamus, quatenus prædictis personis (nempe filiis Sacerdotum, & aliis non legitime natis) à personaribus & dignitatibus, & huiusmodi beneficiis prorsus amotis, ea personis idoneis conferri facias, per illos, ad quos collationem*

*ipsorum de jure noveris pertinere.* Et ne id de cetero præsumatur, districtius inhibemus.

Censentur autem legitimi, ex justo & legitimo matrimonio; quibus annumerantur nati ex solutis, sed per subsequens istorum matrimonium legitimi, c. *conquisitus*, 1. c. tanta, 6. qui filii sint legitimi; non legitimitur autem natus ex adulterio, esto subsequatur matrimonium, ut dicitur cit. c. *tanta*. Dixi natus; nam si conceptus sit in adulterio, & natus soluto matrimonio inter adulteros de præterito, erit legitimus; sic enim est filius naturalis tantum, scilicet filius ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis matrimonium consistere poterat, ut dixi l. 4. Decretalium, tit. 17. naturales autem legitimitur subsequente matrimonio, ex dict. c. *conquisitus*. Deinde legitimis annumerantur ante sententiam separationis concepti vel nati ex matrimonio, bonâ fide; in facie Ecclesiæ contracto, licet deinde propter impedimentum dirimens, quod abesse existimabant, saltem unius bonâ fide, tale matrimonium separaretur, c. *Cum inter*, 2. eodem. Nam filii concepti habentur pro natis, cum agitur de favore filiorum; secus si de odio. Abbas in c. cit. n. 3. & L. *quis natus*, ff. de status hominum. Legitimis præterea accensentur filii suscepti ex matrimonio, quod parentes contraxerunt nulliter, ex justo juris, vel facti errore. Nam ex justo errore nascitur bona fides; ita Barbosa in cit. c. *Cum inter*, n. 3. quia secundum aliquos (ut notat Barbosa ex Peregrino de fideicommiss. a. 24. n. 86.) titulus putativus, quamvis ex injusto errore proveniat, causat bonam fidem. Ad hunc effectum etiam sufficit matrimonium putativum, quamvis ex errore injusto; de quo V. Sanchez de matrim. D. 3. S. 5. n. 13. Suarez de Censur. tom. 5. D. 5. S. 1. n. 6. Secus est, si matrimonium tale foret clandestine contractum, scilicet omisis denuntiationibus, c. *Cum inhibito*, de clandestin. desponsi. Sed de hoc V. l. 4. decretalium tit. 17.

Si petas, quid dicendum de filiis natis ex simili matrimonio, de quo antè, ante sententiam quidem, sed post litem contestatam? B. adhuc esse legitimos: sic Barbosa in c. *Cum inter*, n. 13. Azor institut. moral. p. 2. l. 2. c. 13. q. 6. nam litem contestatio non inducit malam fidem inter parentes, qui prius bonâ fide contraxerunt. Probabiliter



liter etiam illegitimi sunt, qui nascuntur ex parentibus, dubiis super valore matrimonii; quia tales non sunt in mala fide; & nati ex parentibus infidelibus, qui injustas nuptias contraxerunt, si postea ad fidem convertuntur, c. *fin.* qui filii sint legitimi; ibi: *prolem, de infidelium conjunctionibus natam, qui secundo, tertio, vel ulteriore gradu, secundum opinionem illorum, matrimoniali contraxerunt affectu, post fidem receptam* (utilitate publicâ suadente) *legitimam volumus reputari.* In dubio autem, an censendus sit quis legitimus? R. in dubio præsumi pro legitimo thoro; sic Diana p. 4. tr. 3. resol. 6. ne præsumatur delictum.

2185 Ex dictis facile colliges, qui censentur jure Cañonico illegitimi, quibus accenseri solent nati ex conjugibus, post solenne votum castitatis in initum à parentibus de mutuo consensu; Streinius juris Canon. p. 3. tit. 16. de pœnis, §. 14. n. 1. quamvis etiam legitimi sint, qui tales fiunt per rescriptum Papæ, c. *per venerabilem*, 13. qui filii sint legitimi. Illegitimitas autem tollitur professione Religiosa, juxta Constit. Greg. XIV. sic, ut talis professus ad omnes Ordines promoveri possit; non tamen ad prælationes, ut habetur c. 1. de filiis Presbyt. ibi: *prælationes verò nullatenus habeant.* V. Strein. cit. n. 1. Diana p. 4. tr. 2. resol. 66. Si petas, an nota illegitimationis reviviscat, in ejectis professis talibus à Religione? negat Diana cit. de omnibus, exceptis dimissis à Societate JESU, sed & hoc videtur æqualliter negare; Sanchez l. 5. mor. c. 5. n. 14.

2186 Quæres 2. quid circa irregularitatem operetur defectus originis; vel libertatis? Ex defectu originis irregulares sunt servi, c. *instruendi*, 1. de serv. non ord. Nam absque injuria Domini ordinari nequeunt. V. dist. 54. per totum, & tit. 18. de servis non ordm. An autem & quando quis censentur servus? ibid. à nobis traditum est: ex defectu autem libertatis, vel liberationis, irregulares sunt, & impediti à suscipiendis ordinibus, qui vel Curia ministerio destinantur ut Judices, Advocati forenses, Notarii, Milites, similesque Ministri, vel publicis ratiociniis obligati, ut Curatores, Tutores, Procuratores &c. intellige, quàm diu tales sunt; habetur tit. 19. l. 1. Decret. ubi dicitur, ordinari posse, post ejusmodi onera deposita, si actus vitæ ipsorum fuerint comprobati.

2187 Sed hinc excipe 1. gravatum are alie-

no; extra administrationem contracto. Talis enim lite pendente, si sit solvendo, potest ordinari; sic Streinius cit. n. 3. deinde Administrationem præ causâ, etiam nondum dimisso munere c. *ult. dist. 66. c. indicatum*, dist. 89. excipe 3. cum, qui publicis ratiociniis obstrictus est, si præstitit fidejussorem; Abbas in c. *Magnus*, de oblig. ad ratiocin.

Quæres 3. quid operetur defectus ætatis? R. defectu ætatis repelli quem ab ordinibus, quàm diu minor est ætate requisitâ. Ea porro traditur l. 1. decret. tit. 14. si autem non obstante defectu ætatis quis ordinetur, ab usu ordinis suspensus est, usque ad præscriptum terminum, c. *vel non*, de temporib. ordin. Hodie, vi Trid. Sess. 22. c. 12. de reform. requiritur pro *subdiaconatu* annus 22. pro *diaconatu* 23. pro sacerdotio 25. inchoatus; pro Episcopo 30. completus: Episcopus autem circa ætatem dispensare non potest, ut monet Congregatio Cardinalium, ibidem.

Quæres 4. quid operetur defectus bonæ famæ, seu infamia tam juris, quàm facti? R. laborantes hoc defectu, irregulares esse; dictam tamen irregularitatem exinde natam non extendi ad infamiam ex alieno delicto, nisi speciali jure constitutum sit, ut est in casu, de quo superius tit. 1. V. Strein. cit. n. 5. ea enim non nascitur ex natura rei; sed ex libera voluntate publicata, ex decretis, & legibus; Sic Filiucius tr. 19. c. 8. Ut autem quis dicatur diffamatus, non sufficit, quòd duo vel tres dicant, se vidisse crimem perpetrari: sed requiritur rumor, & fama; apud majorem communitatis partem; Barbosa in c. *Inquisitionis*, de accus. n. 7. Less. de just. l. 2. c. 29. D. 15. Farinacius in praxi crimin. p. 1. q. 9. n. 1. de quo plura diximus supr. tit. 1.

Illud hic cumprimis not. quòd infamia parentis, qui occidit, vel mutilavit Rectorem, aut Clericum Ecclesiæ, cujus ipse Patronus fuit, derivetur in filios usque ad quartam generationem; c. *in quibusdam*, 12. de pœnis; quod desumptum est ex Concilio generali, & sic loquitur: in quibusdam provinciis Ecclesiarum Patroni, & Advocati, seu Vicedomini *se in tantam insolentiam erexerunt, quòd non solum cum vacantibus debet Ecclesiis de Pastoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt, & malitias; verum etiam de possessionibus, aliisque bonis Ecclesiasticis, pro sua voluntate ordinare præ-*



re præsumunt: & (quod horrendum est dicere) in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur, quod ad defensionis subsidium est inventum, ad defensionis dispendium non debeat retorqueri: prohibemus expressè, ne Patroni, vel Advocati, seu Vicedomini, super præmissis, de cætero plus usurpent, quàm reperitur in jure permissum: & si contra præsumserint, per se veritatem Canonicam districtissimè compescantur. Sacri nihilominus Concilii approbatione statuimus, quatenus, si Patroni, vel advocati, aut Feudatarii, seu Vicedomini, aut alii beneficiati alicujus Ecclesiæ, Rectorem vel Clericum alium ipsius Ecclesiæ, per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumserint: Patroni jus Patronatus; Advocati advocatiam, Feudatarii feudum, Vicedomini vicedominatum, & beneficium prorsus amittant. Et, ne minus vindictæ, quàm excessus memoria proregetur, non solum de præmissis nihil perveniat ad hæredes, sed etiam usque ad quartam generationem posteritates talium in Clericorum Collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicujus Prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum.

2191 Not. autem hæc intelligi de descendibus per lineam masculinam, c. ubicunque, 4. eodem, in 6. ibi: ubicunque alicui, & eius filiis, seu posteris usque in certam generationem poena imponitur ab homine, vel à jure, poena ipsa eos tantum afficit, qui per masculinam, non per femininam lineam descendere dignoscuntur. Nisi aliud in jure vel sententia sit expressum. Ubi tamen nota, Episcopum posse dispensare, ut dicitur in c. in quibusdam. Nam ubi jura dicunt absolutè, posse dispensari, intelligitur, posse Episcopum, gl. fin. hic V. dispensatum. Henriquez in Summa p. 2. l. 14. c. 19. lit. P. Barb. in cit. c. n. 4. Unde illi posteriores omnes prohibiti sunt à Clericatu, & prælationibus regularibus, ex c. quibusdam cit.

2192 Quæres 5. quid circa irregularitatem operetur defectus corporis? De hoc defectu loquitur c. fin. de corpore vitiatu, ubi dicitur irregularis, si habeat aliquam corporis deformitatem. Nam cùm quidam Thomas Monachus Honorio III. proposuisset, quòd, cùm in annis puerilibus esset constitutus, quædam barra ferrea super

dextræ suæ pollicem fortuito cadens, ungulam avulsit ab eo, & ad Ordines hoc defectu non obstante, promoveri posset? rescriptis Honorio Episcopo Engolismensi, si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens, & aliud Canonicum non obstat, propter deformitatem hujusmodi non obstat, quin cum ad Ordinem promoveas. Ex quo deducitur, defectum corporis, qui scilicet causat notabilem deformitatem, vel impedit functionem Ordinis recipiendi, inducere irregularitatem. Talis porò defectus non est, carere ungue in pollice, si hic adhuc sufficiat ad exercendam ejus usu actionem, v. g. frangendam sacram hostiam, ut liquet ex textu.

Præter hæc not. habentem levem maculam in oculo, ex hoc non censi irregularem, saltem non ita, ut dispensari non possit à suo Ordinario, ut dicitur c. cum de tua, 2. eod. ibi: de macula verò Archi-Episcopo prædicto mandavimus, ut cum consilio suffraganeorum suorum, quod exinde visum fuerit, exequatur, in quolibet maxima dispensatione curavimus providere. Idem est de illo, qui in cunabulis sectus est, de quo casu habetur textus in c. Ex parte, 3. eod. ubi Clemens III. ait, ex parte Bartholomæi Monachi petitorium fuisse Romano Apostolatu præsentatum, quòd, cùm ipse in cunabulis sectus fuerit, postmodum sub regula & Abbate, devotè DEO militans, in Diaconatus Ordinem est promotus; & subjungit: Sanè, cùm secundum statuta Vicani Concilii, illi ad Clericatus Ordinem prohibeantur accedere: & si etiam in Clero fuerint, debeant cessare, qui seipos sani absciderint, vel affectaverint, ut ab aliis abscindantur; non credimus ei impedimentum offerre, quominus possit provehi, qui in cunabulis sectus fuit; quia non videtur hoc eotempore affectasse, quo judicium animi non habebat; præsertim cùm in canonibus Apostolorum sit manifestè sancitum, quòd eunuchus, si per insidias hominum factus, vel ita natus sit, aut etiam in persecutione sint ei amputata virilia, & dignus est, possit in Episcopum promoveri.

Ex hoc textu deducitur 1. irregulares esse, & ab Ordinibus recipiendis prohiberi; & si Clerici jam sint, ab usu Ordinum, quos habent, cessare debere, qui sibi ipsi sani virilia sustulerunt, vel ut hoc ab aliis sibi contingeret, affectarunt; sectus, si ei hoc factum sit in cunabulis, vel per insidias homi-



hominum, aut persecutionem, vel natus sit eunuchus. Si tamen Sacerdos sibi virilia præscinderet, ex bono affectu, vel (ut ait textus, putans se obsequium præstare DEO) ab Ordinario dispensari posset per c. *Significavit*, 4. eod. ibi: si jam dictum Presbyterum aliàs DEO dignum inveneris, ei sacerdotale officium absque altaris ministerio, auctoritate nostrâ fretus, & tuâ, prout videris expedire, concedas. Ubi nota verbum: *authoritate nostrâ & tua*, quo innui videtur, Episcopum id posse, etiam jure ordinario.

2195 Not. 2. Quando contingit alicui abscindi virilia, ex causâ, v. g. propter gravem infirmitatem id exigentem, talem non incurere irregularitatem ex vitio, vel defectu corporis per c. *ex parte*, 5. eod. ubi ad propositum casum, quòd M. Presbyter, cum sibi sentiret lepræ periculum imminere, de consilio Medici virilia fecit abscindi, ut posset à tam gravi infirmitatis vitio liberari: respondit Pontifex: Quoniam Canones sanctorum Patrum hunc à sacri Altaris administratione non prohibent, mandamus, quatenus si est ita, & memoratus M. est aliàs idoneus, ut sui ministerii officium exequatur, liberam ei tribuas facultatem. Ex quo colligitur, ex defectu corporis occulto non induci irregularitatem. Quæ enim occulta sunt; nec deformitatem, nec scandalum pariunt; excipe, nisi propriâ culpâ acciderit, patet ex c. *Maritum* 2. dist. 33. ibi: *nec eum, qui semetipsum quolibet corporis sui membro, indignatione aliqua, vel justo, vel injusto timore superatus, truncaverit, & c. si quis*, dist. 55. ibi: *si quis abscidit semetipsum* (id est, si quis amputavit sibi virilia) *non fiat Clericus*: quia sui est homicida, & DEI conditoris inimicus. *Si quis, cum Clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnatur, quia sui est homicida*. c. *Hi qui*, ead. ibi: hi qui se, carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt. c. *qui partem*, ead. ibi: qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum canones non admittunt. Cui verò casu aliquo contingit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones præcipiunt & Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici; in illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere: in istis verò casus veniam meruit.

Contrarium autem dicendum est, si talis defectus contingit casu, ut dicitur c. *Lator*. 11. dist. 55. ibi: si ita est, quòd à Normanis digitum ipsum habeat abscissum, ad promovendum (si aliàs dignus fuerit) nil ei nocebit: eo quòd quid de his, qui à dominis, vel medicis, sive à paganis non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus; vel ex necessitate, ut diximus n. 2194. & habetur in c. *si quis*, 7. ead. ibi: si quis à medicis, *propter Languorem* defectus est, *aut à barbaris excisus*, hic in clero permaneat; & infra: *quos aut barbari, aut domini castraverunt*, si inveniuntur aliàs dignissimi, tales ad clerum suscipiat regula; *modo ipsi non affectaverint*, id quod etiam habetur c. *Eunuchus*, 8. c. *si quis*, 9. 10. & seq. dist. eadem. V. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7.

Ad extremum nota, insigniter deformes, consequenter irregulares censeri, qui habent nasum amputatum, fissa labia, linguâ deturbatos, claudos, mutilatos manu, &c. ut notat Toletus l. 1. c. 63. de quibus plura ex professo dedimus lib. 1. tit. 20. de corp. vitiatis; idem facit defectus omnis, qui impedit usum ordinis, juxta cit. c. *fin.* ut, si adest morbus, qui facit notabilem deformitatem, vel gravem aliis horrorem, vel cum ipsum ordinis exercitium per talem corporis defectum non permittitur, ut si careat digito Canonico. V. dict. loc. cit. quibus adde, quòd sacerdos carens virilibus, sine causâ sublatis, in suo ordine dispensari possit ab Episcopo, c. *significavit*, de corpore vitiatis; similiter carens parte digiti amissâ in duello; is enim peragere potest in suo ordine ex Episcopi dispensatione, c. *de Presbytero*: hinc nota aliud in executione, aliud in susceptione ordinum impedimentum esse; & facilius executionem permitti, quam susceptionem, ut liquet ex c. *significavit*, c. *ex parte*, 2. de quibus S. Thom. p. 3. q. 82. à ult.

Quæres 6. quid circa irregularitatem operetur defectus animæ? *re.* huc ab aliquibus reduci amentes, furiosos, infantes, & similes; sed hi naturalem potius habent incapacitatem, quàm irregularitatem; hinc alii eos referunt ad defectum ex causâ. Cæterum defectus animæ inducens irregularitatem, contingit 1. cum non adest debitum judicium, ut in pueris 2. cum abest scientia necessaria, de quâ in c. *illiteratos*, dist.



dist. 35. 3. cum quis fuit paganus, vel Judæus; nam neophyti habentur irregulares, ut dicitur c. 1. dist. 48. de quo Concilium Nicænum, ibi: quoniam multa, sive per necessitatem, sive ex quacunque causa, contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel instructi, statim ad spirituales baptismum venissent, & continuo, cum baptizati, etiam ad Episcopatum, vel presbyterium provecti sunt: rectè igitur visum est de cætero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, ut sit catechumenus, & post baptismum multâ probatione indiget. Evidens namque est Apostolicum præceptum dicens: *Non neophytum, ne fortè elatus in judicium incidat, & laqueum diaboli.*

2199 Not. autem 1. per Neophytos hic intelligi eos, qui postquam ante baptismum, Saracenorum, vel Ethnicorum Religionem professi sunt, de novo ad veram Christi fidem accesserunt, ut habetur c. 2. dist. ead. Talis autem non est filius v. g. Judæi, ante usum rationis baptizatus; sic enim non est professus aliam religionem; Tambur. l. 10. de irregularit. c. 11. §. 1. n. 3. qui ibidem notat, adhuc cenferi neophytum, etiam natum ex parentibus Christianis, qui cum potuerit, noluit baptizari, esto baptizatus sit deinde v. g. ob periculum mortis.

Not. 2. ut quis post suam conversionem dicatur exuisse novitatem fidei, sufficere annum à conversione elapsum esse, Tamburinus cit. n. 6. qui censet, probabiliter ad primam tonsuram, & minores ordines admitti posse Neophytos; quibus Gobat in exper. Theol. tr. 8. n. 655. annumerat hæresim publicam; non autem occultam, & ablatam per absolutionem; ex hoc negans esse natam irregularitatem.

2200 Quæstio est 7. quid circa irregularitatem operetur defectus Sacramenti, qui reperitur in bigamia? R. eo ex irregularitatem induci, quia propter iterationem conjugii non bene repræsentant conjunctionem unius Christi, cum una Ecclesia, quæ est perfecta Sacramenti significatio, ut notat Streinius sup. cit. n. 8. Est autem *bigamia* triplex; primò vera, cum duplex matrimonium reipsa contrahitur, non sufficiunt autem sponsalia sola, etiam secuta copulâ; 2. *interpretativa*, cum juris interpretatione censetur matrimonium duplex, ut si vel semel contrahas & consummes matrimonium cum vidua, vel corrupta; 3. *similitudinaria*, cum ex eadem

juris interpretatione, sed aliâ causâ matrimonium censetur duplex, ut si quis post votum solenne continentie solo etiam factò contrahat, & consummet cum virgine, ut notat Abbas in c. *Cum in Apostolica*, de sponsal. n. 5. & dixi l. 1. decret. Tit. 21.

Not. autem à Tamburino l. 10. de Cen- sur. c. 16. §. 1. requiri ad bigamiam, ut homo eam contrahens sit baptizatus; sed huic contrarium tenet Streinius n. 8. ex Covarruv. in c. *gaudemus*, de divort. & expressè habetur c. *Si quis viduam*. distinct. 34. ubi Innocentius Papa Victorio Rothomagensi Episcopo rescribens ait: *Si quis viduam (sicut Laicus) duxerit uxorem, sive ante baptismum, sive post baptismum, non admittatur ad Clerum; quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non accepta uxoris consortium relaxatur.* Secundo ut matrimonium sit consummatum cum utraque, ad contrahendam bigamiam veram; & cum vidua, vel corrupta, ad interpretativam, quæ etiam incurritur à viri cognoscenre suam uxorem ab alio vitiatam. Et universaliter de omni tenet Leander de irregul. tr. 2. D. 6. q. 5. ex c. *debitum*, de bigamis.

Quæri solet à nonnullis, an ad bigamiam veram requiratur matrimonium validè contractum? an sufficiat, licet sit invalidum in re, modò externè communiter habeatur validum? Sufficere hoc posterius, docent Abbas, Suarez, Navarrus, Toletus, & alii apud, & cum Streinio cit. n. 8. §. *acprimò*; quia etiam hic est eadem indecentia, & videtur dici in c. *Nuper*, 4. de bigamis, ubi attenditur affectus animi externè significati, & exinde indecentia. Nam vir, qui mortuâ Uxore promotus ad sacros ordines, cum secunda de facto contraxit, bigamiæ poenam, hoc est effectum, irregularitatem nempe, incurrit, ut habet Rubrica, c. *Nuper*: Contrarium docet Leander cit. q. 10. quia in defectu veri matrimonii defecit ratio sacramenti, ejusque significatio, quod subinde verum esse vult, licet unum verum sit, alterum invalidum.

In hac quæstione not. quòd cum Epi. 220 scopus Ratisbonensis Innocentio III. proposuisset, qui mortuâ uxore suscepit sacros Ordines, & sub hoc de facto, seu invalidè contraxit cum secunda, eamque cognovit, incurrat bigamiæ poenas? responderit Pontifex, quòd cum hujusmodi Clericis, qui, quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt,



tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant; non propter Sacramenti defectum, sed propter effectum intentionis cum opere subsecuto. Ex quo textu colligitur. 1. in dato casu non fuisse bigamiam veram, vel interpretativam; aliàs non dixisset. licet in veritate bigami non existant; adeoque ad utramque requiri matrimonium verum, cum effectum bigamiae non tribuat defectui Sacramenti; hoc est imperfectae representationi Sacramenti, cum nullum eo casu sit; sed intentionis affectui cum opere subsecuto. Colligitur 2. ad bigamiam similitudinariam non requiri, quod matrimonium sit verum in re, sed sufficiat, quod sit in affectu, & intentione, opere carnalis copulae subsecuto. Hinc conciliari posse videntur sententiae oppositae, si dicas cum affirmantibus ad bigamiam quoad effectum, seu similitudinariam sufficere matrimonium putativè validum, licet in renullum sit; secus ad bigamiam quoad rem, ut sit bigamus verè, vel interpretativè.

2204 Not. 2. per Streinium cit. ex Filliuc. t. 19. c. 4. n. 107. ad contrahendam irregularitatem ex bigamia, non requiri scientiam, quod ei factò ejusmodi inhabilitas annexa sit, quod universaliter verum esse vult in hujusmodi privationibus à lege constitutis; quia eadem indecentia est in aestimatione horum, sive sciens, sive ignorans iteret matrimonium, praesertim cum effectus bigamiae (nimirum irregularitas) non supponat culpam. Porro quavis bigamià induci irregularitatem, affirmat ut certum Leander cit. D. 6. q. 3. ex toto tit. de bigamis non ordin. & ex distinct. 26. & 34. à c. Si quis de Latcis, ex dist. 77. c. quicumque Trid. Sess. 23. c. 17. de reform. id, quod etiam tenet Pellizarius tom. 2. l. 7. c. 5. S. 2. à n. 82. est tamen solum juris humani. Nec enim omnia, quae praeceperunt Apostoli, juris divini sunt, ut rectè docet Gibalin. de irregularit. c. 3. q. 4. n. 6.

2205 Ex bigamia interpretativa in quatuor casibus communiter dicunt irregularitatem contrahi 1. per matrimonium contractum cum vidua, seu validum, seu invalidum, c. praecipimus, c. Lector, dist. 34. deinde per contractum cum corrupta ab alio, c. maritus, dist. 33. Tertio per contractum cum repudiata ab alio c. 1. de bigamis, c. si quis viduam, dist. 50. Quarto per copulam cum conjugè adultera consummatam; Tom. V.

haec Streinius cit. n. 8. Ex bigamia verò similitudinaria non tantum à Clericis, sed etiam regularibus, irregularitatem contrahi cum multis aliis docet Leander cit. q. 23. & 24. qui hoc etiam extendit ad religiosos Societatis JESU post sola biennii vota q. 27. V. Pellizar. & alios.

Circa haec not. verum esse, quod in c. 2206 Praecipimus, 10. dist. 34. Gregorius Pontifex Episcopo Squilatio scribens dicat: ne unquam bigamum, aut qui Virginem non est sortitus uxorem, ad sacros Ordines permittat accedere; ac exinde probari eum loqui etiam de bigamia interpretativa, sed non etiam pro casu, quo matrimonium invalidum. Textus enim de hoc casu non loquitur; sed nec probatur ex c. Lector, 18. dist. ead. ibi enim solum dicitur, quod si Lector alterius viduam duxerit, debeat in Lectoratu permanere; promoveri tamen posse in Sub-Diaconum necessitate id exigente, ex c. Maritus, 2. dist. 33. Solum habetur, maritum duarum matronarum post baptismum non esse in Clericum ordinandum; quod extenditur ibidem ad eum, qui duxit viduam, repudiatam, meretricem.

Et quoniam jure bigami prohibentur 2207 ordinari ex cit. c. nuper, & fin. de bigamis c. 1. eod. in 6. Episcopus cum eis etiam propriis dispensare nequit ad sacros Ordines, ut vult Diana p. 4. tr. 2. n. 61. nec etiam ad minores, ex c. unico, de bigamis, in 6. & Trid. ubi Sess. 23. c. 17. bigami hujusmodi omni privilegio clericali privantur; quod procedit, ne possit etiam cum suis propriis subditis bigamis dispensare, ut in sacris susceptis ministrent: sic Leander q. 32. ex c. sane, de Clerico conjugato, & Trid. cit. idem censens de minoribus, q. 33. ubi tamen dicendum, secus esse de bigamia purè similitudinaria, ut habet q. 36. ex c. sane, de Clerico conjugato. Quibus adde irregularitatem ex bigamia solà dispensatione auferri posse, non autem baptismo, vel professione Religiosà; ut latè probat Streinius cit. p. 3. tit. 16. §. 14. n. 6. cum aliis.

### ARTICULUS III.

De irregularitate ex delicto.

Cum irregularitas etiam nascatur ex de- 2208 licto, & hujus sex species numeret Reginaldus in praxi l. 30. t. 2. n. 7. aliisque, de his eodem ordine dicemus. Delicta porro, ex quibus haec inhabilitas provenit, sunt



1. baptismum iterare; 2. suscipere, aut indubito modo sacros ordines exercere; 3. violare censuras; 4. crimen enorme ac notorium, 5. deformare aliquem mutilando, vel occidendo; 6. hæresis, quibus positis: quæstio est 1. quando nascatur irregularitas ex baptismo iterato? Respondent communiter, quando quis alterum scienter rebaptizat, c. *ex literarum* 2. de Apostatis, c. *Afros*, 3. dist. 98. c. *qui in qualibet*, 1. q. 7. c. *qui bis*, 117. c. *eos, quos*, 118. c. *non licet*, 103. c. *rebaptizare*, 108. de consecr. dist. 4. ita Pellizar. tom. 2. tr. 7. c. 5. l. 3. à n. 110.

2209 Circa canones allatos, not. 1. quòd c. *ex literarum* loquatur solum de casu, quo iteratio baptismi est publica; si enim delictum occultum est, ad ordines admitti potest reiterans baptismum; quod etiam conceditur ei pro casu, quo delictum publicum est, si religionem ingredi velit, ut favore religionis cum eo possit dispensari. Not. 2. quòd c. *qui bis*, expressè dicat: *bis etiam ignoranter baptizatos secundum canones ordinari non posse, nisi aliquam magna necessitas cogat*, quod accipe de ignorantia culpabili; 3. quòd c. *Non licet*, solum dicat, non licere Abbati, vel Monacho de baptismo filios suscipere; nec commatres habere; 4. in c. *rebaptizare*, rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum esse; *rebaptizare autem Catholicum, scelus immanissimum*.

2210 Hæc irregularitas in c. *ex literarum*, extenditur ad ministrantes ex officio rebaptizanti, non autem ad Compatres, juxta Gibalinum de irregul. c. 5. q. 1. n. 6. sed solum si ministrat rebaptizanti publice; nam ex c. *ex literarum*, ut diximus, constat, Acolythum sic ministrantem, si crimen occultum sit, ordinari posse; sic Pellizarius cit. q. 9. n. 115. Barb. in c. *ex literarum*, n. 5. & in irregularitate sic occulta dispensat Episcopus; ita Barbof. cit. n. 7.

2211 Sed & ipse rebaptizatus irregularis est, ex c. *qui in qualibet*, 1. q. 7. ibi: *qui in qualibet ætate alibi, quam in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere*. Excipe tamen 1. parvulum ante usum rationis, sic enim caret culpâ, quam hæc pœna supponit; sic Leander D. 18. q. 6. unde textus in cit. c. explicandus est de ætate, extra statum infantis, ubi est usus rationis; excipe 2. rebaptizatum eum probabili ignorantia prioris baptismi, ita

Gibalin. c. 5. n. 5. & 8. Nam c. *qui bis*, de consecrat. dist. 4. intelligi debet de ignorantia culpabili. Et hæc irregularitas non tollitur nisi à Papa, cum sit juris communis. Non oritur autem ex iteratione aliorum sacramentorum; quia de his nihil statuitur in jure. Præter hoc adultus ab hæretico baptizatus, irregularis est, per c. *qui in qualibet*, 1. q. 7. ibi: *qui in qualibet Ecclesia, quam in Ecclesia Catholica, baptizatus*; est autem hæc pœna in odium hæreticorum, & communionis cum eo facta ab adulto; hoc tamen accipe extra casum necessitatis; quia tunc abest culpa; & ideo non incurritur ab infante, c. *placuit*, 1. q. 4. cum delicti non sit capax. Qui autem differt baptismum usque ad articulum mortis, esto tunc baptizetur, irregularis est in pœnam negligentia, c. *si quis*, dist. 57. ibi: *si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet*. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi fortè postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit. Ubi tamen observanda est limitatio, quam apponit textus.

Si quæras, an Laicus extra necessitatem baptizans non solenniter, fiat irregularis? R. quòd non; quia nullo jure definitum est; secus si solenniter, ex c. 1. de Clerico non ordin. sed nec incurrit eam sacerdos extra necessitatem baptizans; secus non sacerdos Clericus, baptizans solenniter etiam in summa necessitate, quia exercet actum proprium Sacerdotis; Gibalin. c. 5. q. 1. consecr. 2. nec eam incurrit Parochus baptizans puerum alterius Parochiæ sine licentia; non enim usurpat actum ordinis, sed tantum jurisdictionis, cui talis pœna non statuitur; Gibalin. cit. n. 29. f. 332.

Quæstio 2. est de irregularitate ex abusu ordinum? & 1. an irregularis sit ordinatus ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit? 2. an scienter ordinatus ab excommunicato, suspensio, interdicto vel ab ordinis exercitio prohibito? 3. an ordinatus per saltum? 4. qui furtive? 5. qui non confirmatus? 6. qui uno die suscipit primam tonsuram, & quatuor minores? 7. qui inscio Episcopo eodem die accepit 4. minores, & subdiaconatum? 8. qui simul eodem inscio duos majores?

Ad 1. R. probabilius esse, quòd non; quia etsi talis in c. 1. de ordinato ab Episcopo, qui dicatur indignus, qui habeat executionem officii sui; intelligitur tantum ejus



ejus ordinis, quem sic suscepit, quod pertinet ad suspensionem; irregularitas enim est ad omnia; Sic Azorp. 3. l. 3. c. 48. q. 13. Filiuc. tr. 17. n. 76. & alii. Ad 2. R. negativè; quia id nullo jure definitum est. Nam quando Clemens VIII. in Constit. edita 1595. dicit, quòd ordinatus ab Episcopo schismatico *minimè ministrare permittatur, nisi cum ipso super irregularitate hujusmodi fuerit dispensatum*, loquitur tantum de ea, quam contraxit ob usum ordinis accepti, à quo suspensus fuit, si scilicet ordinatus erat, vel prohibitus, si ignoranter, ut notat Streinius cit. de abusu ordinum n. 1. Ad 3. R. negativè, quia id nullo jure definitum est. Nam c. unico, de Clerico per saltum promotus dicitur; *cum in diaconum ordinari procurat*; quod non sonat dispensationem, consequenter incursum, à qua liberetur, irregularitatem. Est tamen ab ordine sic suscepto suspensus; Barb. in cit. c. n. 2. si autem non ministravit in ordine suscepto per saltum, potest hodie Episcopus cum eo dispensare, ut in eo ministret. Sic Trid. Sess. 25. de reform. c. 24. & in c. sollicitudo, dist. 25. agitur solum de suspensione. Ad 4. R. affirm. quia in c. 1. de eo, qui furtivè, &c. propter suspensionem, quam sic incurrit, expressè etiam prohibetur promoveri, quod irregularitatem sonat; ita Suarez de Censur. D. 24. S. 3. n. 5. contra Gibal. cit. c. 5. q. 1. n. 2. i. dub. 6. fin.

2214 Ad 5. R. negativè. 1. quia id nullo jure definitur. 2. Quia non confirmatus suscipiens Ordines non peccat graviter; ergo, ita Suarez cit. S. 3. n. 14. Gibalin. cit. pag. 324. *Similiter* etiam R. ad 6. ex communi, & ob eandem rationem; ita Gibalin. in c. 5. q. 1. n. 20. D. 5. Ad 7. R. tali solum imponi suspensionem ferendam; nec aliud colligitur ex c. 2. & 3. de eo, qui furtivè; nam *ly dispensare*, appellat solum Ordinis ministerium, ut notat Suarez cit. S. 3. n. 1. si verò simul sic suscipiat duos majores; ipso jure suspensus est, non tamen irregularis; ita Leander cit. D. 20. q. 8. ex iisdem capitibus; ex quo patet responsio ad 8. esto contrarium teneat Streinius cit. n. 4.

2215 Quæres 9. An fiat irregularis Clericus, non Sacerdos, aliquem sacramentaliter absolvens, vel exercens actum Ordinis, quem non habet? R. quòd sic, patet ex c. 1. de Clerico non ordinato, ibi: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus*, propter temerita-

Tom. V.

tem, *abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* & c. 2. eod. ubi ad casum Diaconi, qui non ordinatus Presbyter, Missarum celebrationem usurpare præsumpsit, Episcopo Legionensi rescripsit Urbanus III. quòd *ad Sacerdotis officium non poterit promoveri*; à Diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat provisione suspensus. De beneficio autem misericorditer agatur cum eo: ne sustentatione privatus, ad sæcularia negotia revertatur. Ut autem securus ei possis hanc misericordiam facere, de agenda poenitentia, diligentem circa eam curam non desinas exhibere: salubrius autem sibi absque dubio providebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum. Et hoc Suarez S. 4. n. 9. extendit ad Episcopum ordinatum per saltum, si ministret Ordinem omissum; esto id neget Leander q. 11. cujus tamen ratio solum probat, quòd validè ordinet. Clericus autem per saltum promotus exercens Ordinem omissum, irregularis est, ut tenet Suarez cit. S. 4. n. 5. & 8. Filiucius D. 20. n. 209. Gibalin. cit. c. 5. consecr. 3. n. 27. nam in eo suspensus est, c. *Sollicitudo*, dist. 52. ergo violant censuram.

Quæres 10. An fiat irregularis Sacerdos celebrans in altari non benedicto ab Episcopo? 11. an conficiens Eucharistiam omissò toto Missæ ritu? 12. an Episcopus alicui conferens unum Sacramentum ordinis, scienter omissò priori? 13. an Episcopus dispense in casu proposito questione non? Ad 10. R. quòd non, quia nihil est in jure; nam in c. 1. & 2. dist. 1. de consecrat. solum fermo est de poena *ferenda*; sic Leander cit. q. 21. Ex eadem ratione pariter respondetur negativè ad 11. nam hic casus non reperitur expressus in jure; sic Diana p. 4. tr. 3. n. 47. Ad 12. R. negativè ex eadem ratione; sic Bonacin. q. 3. de irregul. p. 7. n. 24. Ad 13. R. negativè; Leander q. 31. excipe, nisi delictum sit occultum. Trid. Sess. 24. de reform. c. 6.

Quæstio 3. est de irregularitate *ex violatione censurarum*? In hac quæstione communis docet, quòd, qui per solennem actum Ordinis, qui ob censuram, quâ ligatus est, ipsi prohibitus est, censuram violat, efficiatur irregularis. Deducitur ex toto titulo de Clerico excommunic. ministr. & c. *is, qui, c. is, cui*, de sent. excom. in 6. id quòd etiam inductione constat, & 1. de excommunicato excommunicatione majori constat ex c. *si quis Episcopus*,

Q99 2

2. q.



2. q. 3. ubi dicitur, quod non habeat spem reconciliationis etiam in alio Concilio, consequenter punitur poenâ sine spe remissionis, quod non habet ulla alia censura. Secundò de suspensione habetur elarè in c. 1. de sent. & rejudic. in 6. & c. *medicinalis*, de sent. excom. in 6. & c. *is, cui*, eod. Tertiò de interdicto etiam pater ex c. *is, qui*, eod. ut jam fufius dictum est in præmissis, cum ageremus de censuris singulis.

2218 Not. autem, ut quis hanc poenam ex prædicta censuræ violatione incurrat, requiri, quod ea violatio sit *graviter* mala, aliàs poena culpam excederet, violantem excusari per ignorantiam *probabilem*, ex c. *Apostolica*, de Clerico excommunic. ministr. 3. requiri, quod sit exercitium ordinis *solenne*; quod taliter à Laico fieri non potest. Clericus autem excommunicatus excommunicatione minori, si actum ordinis sacri solenniter exercet, non contrahit irregularitatem; quia per hoc non violat censuram, quod etiam procedit. 1. si suam censuram violet Sacramentorum susceptione; quia et si violet censuram, non violat eam tamen per actum ordinis sibi prohibitum censurâ; item si sacerdos scienter celebret in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato, ut habetur ex c. *is, qui*, de sent. excom. in 8. Demum etiam de excommunicato suscipiente ordines; quia per hoc non violat censuram actu ordinis.

2219 Quæstio 4. est de irregularitate *ex crimine enormi, & notorio*? Quædam enim peccata sunt, quæ etiam citra infamiam annexam, causant irregularitatem, ut patet ex dictis; quædam verò non nisi, ut habeat annexam infamiam. Illa sunt, illicita iteratio baptismi. 2. susceptio ordinum post contractum matrimonium. 3. usus ordinum Clerico prohibitus, & violatio censuræ per solennem actum ordinis censurâ vetiti; 4. homicidium; quibus positis: 1. propter nullam infamiam, nisi legalem, & Canonicam, quæ juris, vel facti sit, induci irregularitatem, c. *Infames* 16. q. 1. ibi: *hi omnes nec ad sacros gradus debent promoveri*, c. *in aliquo*, dist. 51. ibi: *qui infamia notâ aspersi sunt*, &c. Et quamvis infamia popularis, quamdiu durat, prohibeat susceptionem ordinum, non tamen propterea causat irregularitatem propriè dictam; hæc enim tollitur solâ dispensatione: illa verò per poenitentiam, & emendationem. Sic Bonacin. hic D. 7. q. 3. p.

1. n. 5. qui porrò infames sint vel *legaliter*, vel ex *Canone*, constat ex dict. supra.

Quæstio est 5. de irregularitate *ex homicidio injusto*? In Trid. sess. 14. de Reform. c. 7. de hoc casu sic statuitur: Cum etiam, qui per induftriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari avelli debeat, qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit*, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat; si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcunque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeat, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitanano, seu viciniore Episcopo, qui non nisi causâ cognitâ, & probatis precibus, ac narratis, necaliter, dispensare possit. Ex hoc sequitur, eum, qui committit homicidium voluntarium, seu occisionem hominis, fidelis, vel infidelis, baptizati, aut non baptizati, irregularem esse; ubi etiam comprehenditur homicidium occultum; sic etiam Barb. in c. *Inquisitionis* de accusationibus n. 2.

Not. autem ad hanc irregularitatem requiri. 1. homicidium directè voluntarium, & per injustitiam commissum; ita Cardin. de Lugo. Respons. moral. l. 3. d. 9. n. 4. & 7. & in genere suo completum, ac exterrum, ut liquet ex dictis de censuris in communi. Quamvis autem in agente requiratur *fides*, & *baptismus* (aliàs enim Ecclesiæ non subesset) non tamen requiritur in patiente. Nam & infidelis injustè occidi potest. Requiritur etiam *mortem esse secutam*, quia id requiritur in omnibus poenis, nisi aliter expresse statuatur, uti fit in c. 1. de homicid. in 6. ubi *mandantes* aliquem occidi, *esse mors non sequatur*, incurrunt excommunicationem, & privationem omnium beneficiorum ipso facto; extenditurque ad receptatores, defensores, & occultantes ejusmodi homicidas.

Dices: in c. *ex tenore*, 4. de reimpot. 2211 ordinat. absolutè, & generaliter decernitur,



tur, *occulta crimina, etiam enormia, non inducere irregularitatem*; ergo nec tale homicidium occultum: *Re. id verum esse, nisi exceptum sit*; homicidium autem occultum excipitur à Greg. IX. in c. *fin.* cod. qui posterior fuit Alexandro III. qui author fuit cap. *ex tenore*; deinde excipitur etiam in Trid. cit. Demum in cit. c. *ex tenore*, id, quod asseritur, non habetur; nam ut legitur in rubrica, solum dicitur: *criminosus occultus moneri potest, ut non promoveatur; sed prohiberi non debet*, id quod plene cum textu convenit.

2223 Quæres, an eandem irregularitatem incurrat aliquem injustè mutilans? *Re. affirm.* ex c. *in Archiepiscopatu*, de Raptoribus, & Clem. *unic.* de homicidio, argumento sumpto è contrario. *Mutilare* autem, est, hominem aliquo membro privare. *Membrum* autem dicitur illa pars corporis, quæ moraliter loquendo censetur per se habere distinctum officium in humano corpore, ut oculus, auris, manus, pes, Covar. in Clem. *Si furiosus*, n. 8. Hanc responsionem amplia. 1. *ad mutilantem voluntariè se ipsum*; hinc, ut dicitur c. *qui partem*, dist. 55. qui partem digiti cujuscunque sibi ipsi *volens* abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt; hoc restringit Streinius p. 3. tit. 16. de homicidio injusto, ad mutilantem se; non autem *alium à se*; hinc *digitum* negat esse membrum, cujus abscissio faciat irregularem, nisi talis esset, cujus usus necessarius est ad Eucharistiæ administrationem.

2224 Ampliatur 2. ad eum, qui procurat abortum foetus animati, sic S. Augustinus in c. *quod verò*, & c. *Moses*, 32. q. 2. c. *ex litterarum*, de homicidio; secus est, si foetus non sit animatus, ut liquet ex proxime cit. c. hoc Barbosa ibi extendit etiam ad causam moralem abortus. Vid. eum à n. 2. & quamvis Sixtus V. voluerit, ut irregularis fiat, etiam in casu foetus non animati; ejus tamen constitutio correctæ est, & ad viam juris reducta, per Greg. XIII. Vid. Suarez de censur. D. 44. s. 2. n. 13.

2225 Qui homicidium fieri mandat, homicida est, sed effectu secuto, & irregularis; imò licet non mandet mortem, sed tantum verbera, si mandatum injustum est, & mors sequatur, licet ob excessum mandatarii, c. *is, qui*, de homicidio, in 6. nam ibi id expressè dicitur, *si mors secuta est*; videtur enim hæc poena ibi solum accessio-

riè ferri in mandantem. Excipe nisi revocet prius mandatum sic, ut mandatario innotuerit revocatio; quia sic effectus non sequitur *in vi mandati*; cum hoc nec existat actu, ut ponitur; nec habitu; quia definit per privationem revocationis intimatæ, consequenter in esse *habitualmente existentis*. V. Filiucium tr. 20. c. 1. n. 29.

Qui consulit fieri injustum homicidium, effectu secuto pariter homicida, & irregularis est. Nam in c. *sicut dignum*, s. *illi*, de homicidio, dicitur: *ab homicidii reatu immunes non sunt, qui vicisioribus opem contra alios prestare venerunt*; & expressè c. 23. de poenit. dist. 1. Gl. in c. *sicut dignum*; excipe 1. nisi executor non operatus sit ex tali consilio; tunc enim consilium non influxit, consequenter consulens effectum illum non causavit; Sic Felinus in c. 1. de offic. delegati; excipe 2. si consulens consilium revocavit, & perichitantem monuit. Tunc enim non peccat contra justitiam juxta nonnullos, est id negent alii, cum etiam consilio revocato in mente executoris perseveret pondus rationum; sed verius oppositum. Eo enim casu operatio sequitur potius ex malitia operantis. Rati habitio autem homicidii per alium facti, citra tuum mandatum, vel consilium, per se, & vi suâ non facit te irregularem. Sic enim non est causa homicidii; nam ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum, reg. 9. de regul. juris in 6.

#### ARTICULUS IV.

*De irregularitate ex homicidio defectu lenitatis.*

Homicidium justum est, quod fit licite, & citra peccatum; inducit tamen interdum irregularitatem ob defectum lenitatis, ac mansuetudinis, quam Ecclesiæ Ministros decet exemplo Christi sectari. Hæc irregularitas, ex defectu lenitatis, communis est utrique statui Clericorum, & Laicorum; quicumque igitur *voluntariè* occidit hominem, etiam citra peccatum, irregularis est c. 1. de homicid. nec promoveri potest, & si promotus est, deponi debet c. *sicut dignum*, junctâ Glosâ, ibi, cum Doctoribus communiter, etiam si occisus fuisset paganus c. 5. dist. 50. Dixi: *Voluntariè*, ut excipiam homicidium *casuale*, & *purè defensivum*,

Q99 3 seu



seu necessarium. Voluntariè autem occidit (per ordinem ad hanc irregularitatem) quicumque vel physicè, vel moraliter concurrat proximè ad alicujus mortem, non autem remotè, ut faciunt, qui furcam, funem, scalam, ensem &c. mortis instrumenta conficiunt. Extendunt hanc eandem irregularitatem communiter Doctores & Canonistæ etiam ad mutilationem, ex Clement. *unica*, de quibus vid. dicta ex professo supr. Titulo 12.

2228 Hancigitur irregularitatem ex defectu lenitatis contrahit Judex sive Laicus, sive Ecclesiasticus, qui justè profert sententiam mortis, vel mutilationis in Reum, effectu secuto, c. *ex literis*, de excessibus Prælatorum, quod loquitur de utroque, c. *in Archi-Episcopatu*, de raptoribus. Ubi etiam sermo est de mutilatione, & flagellatione ad sanguinem. Videtur etiam argui ex c. *Sape*, c. *his*, quibus, 23. q. 8. Et ratio est, quia dare sententiam sanguinis, & pœnas repetere, etiam de nocente, est contra mansuetudinem Ecclesiasticam c. *Suscepimus*, de homicidio.

2229 Extendunt 2. ad Assessores in tali judicio, ut tenet communis cum Leandro, de irregularitate tr. 2. D. 7. q. 4. Nam & hi sunt causa proxima, *cum autoritative assistant*. Et res non intelligitur tantùm de morte per sanguinis effusionem; nam per *sententiam sanguinis*, hic, *mors* simpliciter intelligitur; Sic Gibalin. de irregularitate c. 4. consuet. 7. diff. 3. nam eodem modo in tali homicidio est defectus lenitatis. Et quamvis Leander q. 8. neget irregularitatem incurri per flagellationem usque ad sanguinem; dicens, hanc irregularitatem reduci solùm ad duo capita, mortem scilicet, & mutilationem; sed reverà c. *in Archi-Episcopatu* posset fortè in hoc movere dubium. Hoc autem intellige de Judice, post susceptum baptismum, c. *si quis viduam*, dist. 50. c. *si quis post*, dist. 51. nam talis ante baptismum non est membrum Christi, consequenter in eo non consideratur defectus lenitatis, quæ hic respicitur.

2230 Qui fert legem mortis in certum delictum, sive sit Judex Ecclesiasticus, sive Laicus, est tantùm causa remota mortis, nec animadvertit in certam personam, atque adeo ex hoc c. non incurrit istam irregularitatem; Sic Pellizarius tom. 2. tr. 7. c. 5. S. 4. q. 1. n. 172. quod etiam procedit de Principe Laico, vel Ecclesiastico habente

jurisdictionem temporalem, si constituat Ministros, & Judices, ut causam sanguinis inquirent, & puniant juxta leges, & juris dispositionem; ut habetur c. *fin.* Ne Clerici, vel Monachi in 6. quod etiam ex eodem verum est, esto alicui det *specialem* ad hoc *commissionem*, delegando v. g. alicui Commissario unam causam criminalem, Diana p. 4. tr. 2. resol. 78. secus est, si Judici à se delegato mandet, ut sententiam mortis proferat *in talem Reum*; sicut enim directè & proximè cooperatur morti. Idem est, si mandet, ut, quem Judex delegatus prius ad mortem condemnaverat, *salutem die* occidat. Sic Leander de irregular. tr. 2. D. 7. q. 24.

Sed quid si delegatus Reum injuste condemnet ad mortem? *Respondeo*, mandantem non propterea fieri irregularem, quia culpa mandatarii, dum fines mandati excedit, non debet obesse mandanti. L. *diligenter*, ff. mandati. Si dicas, hoc esse contra c. *fin.* de homicid. in 6. ubi contrarium expressè deciditur. *Respondeo*, ibi agi de *injuste* mandante. Nam textus sic habet: is, qui mandat aliquem verberari (licet expressè inhibeat, ne occidat ullatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficietur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat. *Cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.*

Jurisperitus, Theologus, Confessor, rarius, vel quicumque alius, citra hanc irregularitatem, si quærat in genere, an quis ob tale crimen mereatur mortem? respondere potest, *mereri, jure sic disponente*, quia sic respondens in genere, non influit proximè & immediatè in alicujus particularis mortem; sic Bonacina de irregul. q. 4. p. 1. n. 46. Gibalin. hic, c. 4. q. 3. consuet. 7. diff. 8. Si autem circa personam in particulari respondeat, eum esse afficiendum morte? Henriquez l. 14. c. 6. n. 4. censet talem Clericum irregularem fore, sed negandum est, si tali casu dicat generatim, quod jura statuunt. Sic enim Judex movetur à solo jure, non ab aperiente veritatem juris; adeoque nec indirectè concurrat; Layman l. 3. tr. 3. p. 3. S. 5. c. 7. n. 4. id, quod etiam probabiliter tenendum, si Judici privatim quærenti, an teneatur ad mortem condemnare hunc hominem, qui commisit v. g. hæc delicta, quibus à jure decernitur pœna mortis, respondeat, ipsum teneri, vel talem juxta leges mortem esse



esse meritum, quia nullum jus hoc statuit, ut talis evadat irregularis. Nam 1. id non potest esse ex delicto, ut constat; 2. non ex defectu lenitatis; irregularitas enim ex hoc defectu tantum imposita est Judici, ejusque officialibus *authoritate publicâ* fungentibus, v. g. juridicè consulentibus, &c. sic Castropal. de Censur. D. 6. p. 14. §. 3. n. 7. Pellizar. tr. 2. l. 7. c. 5. S. 4. q. 11. n. 170. Leander hic tr. 2. D. 7. q. 31.

2233 Hinc etiam ab ista irregularitate immunis est Confessarius, qui Judici, nolenti Reum punire poenâ mortis, quando in conscientia tenetur, dicit, ego non possum, nec volo te absolvere, nisi eum morte punias. Nulla enim irregularitas ex defectu lenitatis incurritur propter actionem, quam quis sine peccato omittere non potest, nisi exerceatur à Ministro justitiæ, quâ tali; ita Leander cit. p. 32. Reginald. in praxi l. 30. n. 138. & alii. Et hoc procedit etiam in casu, quo Confessarius monet, & jubet Reum, juridicè questum, fateri crimen, quod fateri tenetur, quia sic falsio citra crimen omitti nequit.

2234 Not. Præterea, quòd, quando Prælati Ecclesiastici Reum occidentum tradunt brachio seculari, ut irregularitatem hanc evadant, pro eo intercedere debeant, ne moriatur, c. *Novimus*, de Verbor. signific. Henriquez l. 14. c. 12. n. 5. Layman tr. 3. l. 3. p. 3. c. 7. n. 3. Ab hac protestatione speciali privilegio eximuntur Inquisitores fidei (ut videri potest apud Leand. cit. q. 39.) eorumque Ministri.

2235 Not. 2. quòd Clerico jure antiquo non imputabatur ad irregularitatem, si civiliter petiit sibi ministrari justitiam pro rebus suis, vel injuriis, esto secuta fuerit poena sanguinis inflicta per Judices occasione sumptâ ex tali causâ. c. *postulasti*, de homicidio; sed nunc requiri per c. *Prelatis*, eod. in 6. ut expressè prius protestetur, se non intendere poenam sanguinis, vel mutilationis. V. dicta à n. 866. & sequent.

2236 Not. 3. quòd, qui aliquem accusat criminaliter, petens vindictam, secutâ morte, vel mutilatione, fiat irregularis, defectu perfectæ lenitatis. Videtur colligi ex c. *si quis viduam*, dist. 50. ubi dicitur, quòd sibi conscius homicidii facti, *præcepto, consilio, aut assensione* (non, ut ibi ponitur, *defensione*) post baptismum, toto vitæ tempore communionem tantum Laicam recipere debeat; ergo irregularis est talis: sed sic accusans est talis; verè enim

cooperatur ad sententiam sanguinis vetitam, c. *sententiam*, ne Clerici, vel Monachi; ergo. Ubi not. si accusatio est justa, eum irregularem esse solum ex defectu lenitatis; si injusta, ex delicto. Deinde Clericis judicium sanguinis agitare etiam in c. *Clericis*, eod. prohibetur; sed hoc loquitur de Clerico *in Sacris*; illud de Clerico simpliciter. Est autem hic sermo de accusatione criminis ad mortem sufficientis; secus enim non dat causam mortis, accusatione tantum culpæ levis; Suarez de censur. D. 47. f. 2. esto postea ab aliis accusetur de criminibus dignis morte. Leand. cit. hic tr. 2. D. 7. q. 44.

2237 Testis *voluntariè* testificans in causa sanguinis, morte secutâ *ex ejus testimonio*, fit irregularis defectu plenæ lenitatis; sic enim verè cooperatur ad mortem; Castropalaus de censur. D. 6. p. 14. §. 2. n. 2. Hurtado hic D. 2. diffic. 11. secus est, si facit ex obligatione juris naturalis, quia sic non deficit in lenitate, appositum enim peccatum est; Diana p. 4. tr. 2. resolut. 31. quod probabiliter etiam extenditur ad calum, quo quis testem agit ob præceptum Judicis, vel gravem metum; ratio est eadem. Castropal. §. 3. n. 3. Layman l. 3. f. 5. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 6. Si dicas: ergo etiam Judex eo casu erit liber ab hac irregularitate; nam etiam Judex, ferendo sententiam mortis, obedit legi, & N. illatum, quia necessitas parendi præcepto in Judice, ejusque Ministris, fundatur in propria voluntate, cum liberè susceperit illud officium; secus est in casu nostro, ut diximus n. 866. ubi pluribus, à n. 873. egi de irregularitate ex defectu lenitatis, & his, qui eâ afficiuntur.

2238 Cum autem præter homicidium, quòd citra peccatum fit *authoritate publicâ*, contingant homicidia in bello, not. justum etiam homicidium illud censeri, quod fit in bello justo; hoc autem vel est defensivum, vel aggressivum. De illo agemus infra; de isto, hic. Unde quaeres 1. an in tali bello Clericis pugnare liceat propriâ manu? 2. an, & quando in tali casu irregularitatem incurrant? R. ad 1. Clerico in sacris id prohibitum esse, c. *Clerici*, c. *quicumque* 13. q. 8. c. 1. ne Clerici vel Monachi; ita Suarez D. 47. f. 6. n. 7. & de Charitate D. 13. f. 3. quod Leander tr. 2. D. 7. q. 106. extendit etiam ad Clericos non in sacris (quia textus indistinctè loquitur) & etiam Religiosos Laicos, ex c. *eos, qui*, 20. q. 3. & ait hanc



hanc prohibitionem esse juris tantum humani, cum in eo Pontifex dispenset, ut habetur q. 108. sed V. dicta n. 889. & Castropalaum tom. 1. l. 6. D. 5. p. 6. n. 3. licitum tamen esse prædictis tali bello interesse, ut bellantibus sint subsidio spirituali, ut patet ex praxi, & ex c. *omni tempore*, c. *hortatu*, c. *præterea*, 23. q. 8. c. *petitio tua*, 24. de homicid. nec ob id incurrere irregularitatem, ut habetur c. *petitio*, cit. ubi Pelagus Presbyter in tali casu versatus, non est irregularitate notatus ab Honorio Papa, nec remotus ab Altari, nisi de interfectione cuiuspiam conscientia ipsum remorderet; quia non fuit sufficiens necessitas.

2239 Si petas 1. an in bello iusto fiant irregulares Clerici, si hortentur milites, ut hostes prævertant, occidant &c. 2. si quem ipsi tunc occidant, ut liberent Regem, vel Principem, aliàs ab hoste perimendum? 3. si ad salvandam patriam? 4. si ut defendant suos, v.g. parentes &c. R. ad 1. negativè, quia nec intervenit irregularitas ex delicto, ut constat; nec quæ est ex defectu lenitatis; hoc enim est pro iis tantum, qui sunt publici Ministri iustitiæ. Ad 2. R. etiam negativè 1. quia talis actus non est illicitus 2. nec est incongruus, sed iure naturali cuique statui debitus; Sic Henriquez l. 14. n. 2. lit. O; Streinius Jur. Can. p. 3. tit. 16. §. *de homicidio iusto*, n. 9. ubi ait, pro opere, vel actu, quem sine peccato omittere nequeas, nulla ullibi constituta irregularitas est. Ad 3. R. quoque negativè, quia defensio patriæ prævalet vitæ hominis privati, sed hanc sic defendere possumus citra ullam irregularitatem; ergo & illam; sic Suarez D. 47. l. 6. n. 2. & D. 13. de bello, l. 3. à n. 7. Ad 4. R. pariter negativè, quia vita parentis, uxoris, filii in ea necessitate perinde habetur, ac si esset una persona cum ipso defendente. Leander q. 119. Castropalaus tom. 1. tr. 6. D. 5. p. 6. à n. 7. Gibalin. hinc c. 4. q. 3. confectar. 6. difficult. ultimà.

2240 Si quæres, quid dicendum de homicidio vitæ necessario? R. eum, qui propter vitæ suæ necessariam defensionem occidit alium, non evadere irregularem. Clem. *unic.* de homicidio; intellige si servet moderationem debitam. Hinc per hanc Clementinam derogatur capitulo *ad audientiam*, de homicidio, & c. 2. de Clerico pugnante in duello. Neque hic est defectus lenitatis; cum, ut ponitur, non

sit alius modus servandi vitam propriam, imò contrarium, foret ignavia, ut innuatur c. 2. de homicidio in 6. si dicas; Tridentinum sess. 14. c. 7. eum remittit ad Episcopum pro dispensatione, quinon ex proposito, sed casu, & vim vi repellendo aliquem occidit? R. quòd declarationes Cardinalium id intelligant n. 3. de vi repellente cum aliqua culpa. Sic etiam Barbosa dictum nostrum amplians copiosè apud Streinium cit. de homicidio necessàrio. n. 3.

Hoc extenditur etiam ad casum homicidii necessàrii, iniusti aggressoris pro defensione suæ, vel alienæ castitatis, & pudicitia. Nam integritas corporis est inter prima hominis bona; sic pro utroque Tannerus D. 4. q. 8. n. 68. & 79. & communiter etiam ad defensionem honoris, ac boni communis. Sic Diana p. 5. resol. 12. Streinius cit. n. 5. secus ob contumelias, & injurias verbales per Magistratum reparabiles; bene tamen ad bona temporalia, de quibus V. dicta à n. 865.

Dices: Universalis regula est, omnem homicidam voluntarium esse irregularem; & Clementina Unica, de homicid. excipit solum homicidium ob defensionem vitæ propriæ; ergo. R. dist. ant. & concedo de homicidis voluntariis, quos nulla necessitas, & iustitia tuerur; secus N. ant. nulla enim imponitur irregularitas, cum quis operatur ex necessitate secundum dicta. In Clementina autem illa non ponitur ulla exceptio, sed tantum assertur id, quod est juris naturalis. Neque ex dictis nostris sequitur, quòd nemo fiat irregularis, qui in bello iusto offensivo, aliquem mutilat, vel occidit, quod est contra communem. R. enim cum distinctione, & concedo sequelam, si adsit necessitas, & absit prohibitio specialis, ut est in Clericis; secus, sin illa absit, & hæc adsit. Sed tunc intelligitur solum, si quis mutilat, vel occidat alium, manu suâ.

## ARTICULUS V.

*De irregularitate ex homicidio casuali.*

**H**omicidium aliud est *in se volitum*; aliud in alio. Hoc in præfenti appellat communitè homicidium *casuale*, seu *fortuitum*; & si contingat, ut voluntas in illud *nec directè, nec indirectè* feratur, non dicitur propriè *homicidium* (hoc enim propriè *crimen* sonat) sed *occisio simplex*; ita Julius



Julius Clarus, §. homicidium. Dicitur autem *indirectè volitum*, cum exerces actionem, quam scis, vel prævides habere annexum aliquod periculum mortis alienæ, vel mutilationis, & non sufficienter caves tali periculo, tunc enim culpabilis es; secus, est homicidium *merè casuale*, & citra culpam.

2244 Quicumque igitur committit homicidium etiam indirectè voluntarium, incurrit irregularitatem pœnalem, scilicet ex culpa, ut dicitur in c. *continebatur*, 8. c. *de cetero*, 11. de homicidio, & c. *is, qui*, eod. in 6. contingit autem, primò, si quis ponat actionem periculosam proximè v. g. si meretricem vocet ad se viâ periculosâ, v. g. per tectum, & hæc lapsu moriatur; talis enim homicidio, seu alienæ mortis causam dedit, ut habetur in cit. c. *de cetero*. Deinde si quis ponat actionem ex se licitam ac inde sequitur mors alterius, vel infirmitas causans mortem; intellige si non adhibuit, quam adhibere debuit, sufficientem diligentiam cavendo periculo, cit. c. *continebatur*, 8. c. *Presbyterum*, 7. de homicid. ubi rubrica habet: *homicidium casuale impunitis, qui dabat operam rei licitæ* (nimirum correctioni pueri, disciplina causâ) *sed non adhibuit diligentiam, quam debuit*, dum eum percussit in capite; si ex ipsâ percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrit, de qua noscitur exspirasse, id quod etiam habetur in c. *ad audientiam* 12. eod. Tertio si quis dat operam rei illicitæ, unde mors alterius sequitur, c. *continebatur*.

2245 Not. autem, quòd quis non censetur operam dare rei illicitæ, prout hic requiritur ad irregularitatem ex homicidio casuali, exercendo qualemcumque actionem peccaminosam; sed talem, quæ mala est, & comparatione vitæ alienæ periculosa; sic Molina de Just. tr. 3. D. 77. n. 7. & Barbosa in c. *dilectus*, de homicidio, n. 2. hinc notat Henriquez in Summal. 14. c. 11. §. 1. quòd, qui causat homicidium casuale ex actione illicita, tunc irregularis fiat, quando ea actio est peccatum mortale, & quæ talis influit in alterius mortem. Qui verò dat operam rei licitæ, nec fuit in culpa, esto præter ejus intentionem sequatur mors alterius; immunis est ab omni irregularitate pœnali, c. *dilectus*, 13. c. *ex literis*, 14. & 15. c. *significasti*; 16. c. *Joannes*, 23. c. *quidam*, 24. de homicid.

2246 Dices: si quis alterum casu vulnerat,

Tom. V.

& vulneratus à vulnere confanatus in morbum alium incidit, ex quo moritur, vulnerans fit irregularis per c. *ad audientiam*, de homicidio; ergo irregularitas hæc incurritur. 1. ex actione illicita etiam non periculosa, si periculo mortis cavetur. 2. ex actione omnino inculpabili, ut si vulnus nullo modo fuit ex tali actione pravissimum. 3. si certum est, eum morbum, ortum ex vulnere, & vulnus fuit pravissimum in actione illicita; vel etiam licita, sed sine sufficienti cautela; vulnerantem omnino fieri irregularem; hoc enim dicit c. *ad audientiam*; secus, si vulnus ortum sit ex actione licita, citra culpam agentis; vel etiam ex illicita, sed vulnere non causante morbum. V. dicta à n. 849.

## ARTICULUS VI.

De Dispensatione in irregularitate.

2247 **Q**uestio 1. est, an Episcopi, & Prælati Regulares dispensare possint in irregularitate, contracta ex membrorum mutilatione? 2. & hanc, & natam ex homicidio, jure antiquo reservaram esse Pontifici in c. 1. de Clericis pugnantibus in duello, ubi conceditur Episcopo jus dispensandi cum Clerico in pœna depositionis, qui sponte duellum obrulit, vel oblatum acceptavit, dummodo ex ipso duello homicidium, seu membrorum diminutio non fuerit subsequuta: nunc verò jure Trident. Sess. 14. c. 7. & Sess. 24. c. 6. solam irregularitatem ex homicidio voluntario; & si quæ alia est ex simili casu homicidii, vel mutilationis deducta ad forum contentiosum? Ubi nota, quoad irregularitatem statutam homicidio, intelligi etiam mutilationem, & ita sumitur in Glossa communi de homicidio; & cum negatur alicui dispensatio ob homicidium, non hoc ipso etiam intelligi per illud *mutilationem*. Nam *homicidium, & membrorum diminutio*, quoad hoc distinguuntur in jure, ut habetur c. 1. de Clericis pugnant. ibi: *homicidium*, vel *membrorum diminutio*; id, quod etiam habetur in declarationibus Cardinalium ad Sess. 24. Trid. c. 6. de reform.

2248 Et ideo, cum aliquando sumantur pro invicem quoad aliquos effectus; aliquando distinguantur, observandæ sunt sequentes regulæ. 1. Quòd lex disponens aliquid de irregularitate ob defectum lenitatis ex homicidio, extendatur etiam ad mutilationem; favores enim ampliandi sunt; secus, si ad

Rxx

fiad



si ad rigorem pertinet; tunc enim non valet extensio, etiamsi fiat à jure. 2. Quod lex disponens de irregularitate ob mutilationem, extendatur etiam ad homicidium, si rigorem continet; sic enim mutilatio continetur saltem continenter in homicidio; secus si favorem, quia poena mitigata minori delicto non facit consequentiam pro majori, vel totali.

2249 Quæstio 2. est, an potestas absolvendi ab omnibus peccatis, censuris, poenis & sententiis, extendatur ad dispensationem ex irregularitate? R. negativè, c. ult. de officio Vicar. in 6. ubi dicitur: *in generali concessione nunquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus*: at qui facultas illa generalis est talis concessio; nam, cum Pontifex facta eà concessione, ut fit in jubilæis, vult etiam comprehendere facultatem pro irregularitate, eam specialiter exprimit; ita Reginaldus l. 30. tr. 2. 24. & communis.

2250 Dices: Irregularitas est censura. 2. Irregularitas saltem ex delicto est poena; ergo: R. ad 1. id quidem doceri à Soto, & aliquibus Thomistis; sed sine fundamento. Hinc nego antecedens, ut dixi supr. n. 1611. Ad 2. R. C. antecedens, N. consequentiam. Nam ly *penis* in ea concessione significat solum eas, quas significare vult Pontifex; hanc autem ibi non intendit significare, ut patet ex stylo Curia. Hinc etiam dici potest distinguendo: irregularitas est poena, quæ non venit in generali dispositione de poenis C. secus N. ant. & conseq.

2251 Not. autem, quod dispensatio irregularitatis in jure non habeat determinatam formam, nulla enim præscripta est. Ut tamen licite fiat, aliqua causa requiritur. 1. ex Trid. Sess. 23. c. 14. q. 2. quia universaliter requiritur in omni dispensatione, D. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4. non tamen ut valide, pendet enim à lege humana, Suarez D. 41. hic, sect. 2. n. 2. eamque Pontifex dare potest pro omni irregularitate, juris scilicet humani; alii autem eo inferiores non nisi in casibus jure, tacite, vel expresse concessis; cum hoc fundetur in jure potestatis altioris.

2252 Episcopis porrò concessam esse facultatem dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario, habetur ex Trid. Sess. 24. c. 6. & tenet Suarez D. 41. S. 2. Sanchez, l. 2. Sum-

ma, c. 11. Sed intellige tantum de Episcopo, qui habet subditos, seu dioecesim, ubi saltem ex parte receptum sit Tridentinum; Sic Leander de irregularitate tr. 2. D. 27. q. 7. potest autem etiam cum Religiosis exemptis, qui quoad hoc se de suorum Superiorum veniâ subjiciunt; jure enim communi subiecti sunt; & solum eximuntur privilegio; ita Suarez n. 12. Filliucius tr. 20. c. 5. q. 5. n. 271. Dixi, *si non est deductum ad forum contentiosum*; intellige, in quo Reus convictus esset; aliàs enim ea deductio non obest; Leander q. 9. V. dicta n. 2034.

Not. autem; quando Tridentinum loco cit. irregularitatem ex delicto occulto reddit indispensabilem ab Ordinariis per exceptionem ibidem positam, non intelligi de quocunque homicidio voluntario, nisi hoc commissum sit per injuriam; ita Cardinalis de Lugo Respons. mor. l. 3. D. 9. n. 4. Unde infert, quod si quis occidat iniustum aggressorem, hoc est, cum, qui gravem ac probabilem metum incutit per eos, qui minas solent exequi, & mandat eos, cum irruunt, occidi necessaria defensionis causa, non evadere irregularem; sic enim non agit injuste.

Quæstio ulterior fieri potest, an in sup. applicatione pro valore dispensationis in irregularitate contracta ex homicidio, necessario fieri debeat mentio jam semel impetratae dispensationis in ejusmodi impedimento ob alterum homicidium? Communis affirmat; quia Pontifex vel non concederet secundam, vel certe difficilius concederet, si præcedentis dispensationis notitiam haberet, quia difficilius est remittere poenam duplicis delicti, quam unius, & gravius solet puniri relapsus, quam ob primum lapsus: ut latè probat Suarez l. 6. de Leg. c. 23. n. 12. & multis relatis Thomas Sanchez l. 8. de matrimon. D. 22. n. 2. & 20. quibus consentit Bassilius Pontius de matrimon. l. 8. c. 17. n. 8.

Verum non requiri, testatur Filliucius tr. 10. p. 2. c. 10. n. 325. veratissimus in Sacra Pœnitentiaria; id quod etiam affirmarunt Anno 1631. 13. Martii, Datarius ejus temporis, & Coccinus Decanus S. Rotæ, & Regens Sacrae Pœnitent. apud Card. de Lugo cit. d. 8. n. 2. tum quia id jus positivum non exigit; tum quia non est ratio præsumendi aliud de intentione dispensantis; cum id, quod dicitur L. 3. C. de Episcopali audient. ut remissionem venæ



crimina, non nisi semel commissa, non habeant, usu receptum non est, ut testatur Filliucius loc. cit.

2256 Dices: licet olim ea mentio non exigeretur; secus tamen est hodie, quia modernus Regens sacrae Poenitentiarie hanc ob causam addi jubet in Brevibus hanc clausulam, Et, si Orator simile delictum iterum admiserit, dispensationemque super eo, à sacra Poenitentiarie officio denuo obtinuerit, ejusmodi dispensatio nequaquam ei suffragetur, si presentis gratie mentionem in illa non fecerit, & ita illam monere, &c. 12. eam clausulam non apponi in quibuslibet dispensationibus; sed tantum in his, quae sunt de abortu. Quare, ubi ea non opponitur, necessarium non est ejus mentio; id, quod tenere videtur Henriquez l. 24. c. 17. n. 5. lit. I. & alii.

2257 Si quæras, quis dispense in irregularitate ex defectu natalium? 12. ex potestate ordinaria posse solum Pontificem. Solum enim est infirmare Canones, cum id ratio expedit; at in c. nimis in tua, de filiis Presbyteri: prohibentur tales promoveri ad dignitates, personatus, & alia beneficia curata sine dispensatione Papæ; sic P. Bauny de censuris, tr. 12. q. 15. Pellizar. tr. 2. D. 7. c. 5. l. 2. q. 20. n. 70. ex quo colliges, hoc loco questionem tantum esse de ordinibus sacris.

2258 Ex hoc patet, Episcopum dispensare posse pro ordinibus minoribus, id quod habetur etiam, c. 1. & 2. eodem; quod etiam procedit de beneficio simplici. Idem censo de Capitulo sede vacante (hoc enim ei succedit in jurisdictione ordinaria) Panormitanus in c. cum olim, de majorit. & obed. Diana p. 4. tr. 2. resol. 64. quod verum esse vult Leander q. 52. cum Barbosa de officio Episcopi, allegat. 45. n. 24. ex eo autem, quod aliquis illegitimus sit Episcopi familiaris, non autem alio titulo subditus, cum eo

etiam ad minores dispensare non potest; quia facultas est tantum ad subditos, vel familiares, aliunde habiles; sic Castropal. tom. 4. tr. 27. D. unica, de ordine, p. 15. n. 6. & tom. 6. de Censur. D. 6. p. 9. n. 7.

An Episcopus cum illegitimo dispensare possit ad Canonatum Ecclesie Cathedralis? affirmant aliqui, putantes esse tantum beneficium simplex; at respondetur, cum jure novo Tridentini Sess. 24. de reform. c. 12. Canonatus requirat Ordines sacros, Episcopum cum tali ad eum non posse dispensare, nisi dicas, quod possit ad tempus, prout videtur docere Azor p. 2. l. 6. c. 3. q. 15. cum Canonatus postulet eos Ordines tantum intra annum, quo tempore potest postea urgere dispensationem pro his à Papa, sed & huic contradicit Leander cit. q. 54.

Ad extremum quæres, an, cum quis stante, nec dispensata irregularitate ex illegitimitate obtinuit dignitatem Ecclesiasticam etiam majorem, mala fide, occultato hoc impedimento, postea possit impetrare dispensationem non tantum irregularitatis, sed etiam revalidationem tituli, & fructuum retentionem? Ad hunc casum affirmative respondet Cardinal. de Lugo cit. dub. 7. dicens in fine, in speciali Congregatione jussu Urbani VIII. coram majori Poenitentiarie sic fuisse judicatum, & dispensationem concessam 1. quia licet defectus natalium fuerit publicus; tamen in ratione impedimenti fuit occultus, omnibus, quibus id constabat, existimantibus, præcessisse dispensationem, 2. quia plures graves Doctores tenent, collationem beneficii, etiam Episcopalis, irregulari factam, esse validam; & collatarium fructus facere suos; pro quo citatur Sanchez l. 2. consil. c. 1. dub. 31. n. 24. Parisius, Navarrus &c. 3. quia huic favet textus in c. 1. de Cleric. non ordinat. ministr.

